TEACHERS' HANDBOOK

FOR USE WITH

THE WRITING OF NARRATIVE LATIN

BY

BENJAMIN W. MITCHELL, PH.D.

PROFESSOR OF LATIN AND HEAD OF DEPARTMENT OF ANCIENT AND MODERN LANGUAGES, CENTRAL HIGH SCHOOL, PHILADELPHIA

PA2087
.M683

AMERICAN BOOK COMPANY

NEW YORK CINCINNATI CHICAGO

COPYRIGHT, 1916, BY
BENJAMIN W. MITCHELL.

MITCHELL. TEACHERS' HANDBOOK.

W. P. I

©CI.A431498

JUN 15 1916

2ce 1.

TEACHERS' HANDBOOK

FOR USE WITH

THE WRITING OF NARRATIVE LATIN

The Writing of Narrative Latin contains 80 exercises, an average of about 26 for each of the last three years of the secondary school course. It is suggested that one period per week be devoted entirely to recitation upon vocabulary and upon the principles of syntax as set forth in the lessons of Part I. The more fully the student can be led to discuss these principles and to ask questions about them, the better. The sentences of the exercises may well be distributed throughout the week, a few each day. It is the belief of the author that the value of the students' work will be greatly enhanced by having the sentences written on the blackboard and publicly criticized and corrected.

The utmost stress should be laid on the acquisition of vocabulary. It is, in truth, the foundation of all instruction in linguistic subjects, for without *words* it is useless to attempt to convey thought in any language. Resourcefulness in seeking a Latin word by canvassing English synonyms for the idea to be expressed should be the constant aim of all vocabulary instruction. And constantly must both teacher and pupil bear in mind that the process of translating from English into Latin is far from being merely the converse of translating from Latin into English. In the latter, each Latin word must receive its proper *value* in the English

rendering; in the former, all that is necessary is to express the thought in correct Latin, often to the almost complete neglect of the English form of expression.

In the following Key to the exercises, possible alternative renderings as well as occasional suggestions and explanations are indicated in brief notes.

PART I

Lesson I

7. 1. Hominēs vidēbō quibus arma dedistī.[1] 2. Magnus exercitus crās proficīscētur. 3. Ex tribus partibus, quās in partēs[2] Gallia est dīvīsa, duās nōndum vīdī. 4. Legiōnēs castra cēpērunt atque oppidum oppugnāvērunt. 5. Multae legiōnēs castra et oppidum oppugnāverint. 6. Cōpiae nunc proficīscuntur et in Galliam iter facient. 7. Magnās Gallōrum cōpiās Rōmānī herī superāvērunt. 8. Castra iam capta sunt. 9. Caesarem hodiē nōn vīdī. 10. Gallōs iam superāvistī et in oppidum iter faciēs. 11. Exercitum eōrum superābimus atque agrōs dīvidēmus. 12. Exercitus eōrum nōndum superātus est, sed legiōnēs nunc eius castra oppugnant. 13. Crās ea[3] faciam. 14. Nunc ea fac. 15. Herī ea faciēbāmus. 16. Castra, hominēs, capite.

[1] In sentences in the second person where the English does not indicate the number of the verb, either sing. or pl. may be used.

[2] The antecedent to a relative is sometimes repeated in the relative clause, to secure clearness. [3] Or *id*.

Lesson II

13. 1. Cīvitās ē fīnibus suīs cum omnibus cōpiīs exīre cōnstituit. 2. Fīliī et fīliae prīncipum captī sunt. 3. Obsidēs multī et arma Rōmānīs data sunt. 4. Arma omnia et rēs frūmentāria Haeduōrum in castra Rōmānōrum missa[1] sunt. 5. Montēs multī et flūmina trānsita sunt. 6. Cīvitās Rōmānīs obsidēs dare coācta est. 7. Cōpiae armaque iam comparāta erant. 8. Ego et tū in oppidum crās ībimus. 9. Tū et Caesar Rōmānīs arma nunc com-

parātis. 10. Et ego et Caesar animōs mīlitum et sociōrum cōnfīrmābimus. 11. Caesar omnibus cum suīs hostēs in fugam dedit. 12. Hostēs superātī mīlitibus Rōmānīs omnia sua dedērunt. 13. Haec omnia bona sunt. 14. Agrī hostium multī et magnī atque aedificia vāstāta sunt. 15. Sociī fortēs prīncipēsque eōrum hostēs in fugam dedērunt. 16. Exercitus et eius arma bona sunt.

[1] Or *missae*, agreeing with the nearer noun.

Lesson III

20. 1. Omnibus prōvinciīs imperāvit quam maximum numerum equitum (quem cōnficere) possunt.[1] 2. Ita Helvētiī fīnitimīs persuādēbant. 3. Equitibus Gallōrum tam celeriter persuādētur. 4. Helvētiīs meō nōmine studeō. 5. Gallī rēbus novīs studēbant. 6. Caesar Labiēnum mūnītiōnī, quam fēcerat, praefēcit.[2] 7. Labiēnus tribus legiōnibus praeëst. 8. Orgetorīx suō nōmine rēbus novīs studēbat. 9. Sīc Helvētiīs tam celeriter persuāsī. 10. Castra mūnītiōnī similia erant. 11. Cōpiae propiōrēs flūminī[3] cōnstitērunt. 12. Castra Rōmānōrum exercituī Gallōrum proxima erant. 13. Labiēnum castrīs praeficiō. 14. Dīviciācī causā[4] Haeduōs prīncipātum tenēre patiar. 15. Hominēs in Galliā rēbus novīs studēbant. 16. Caesar Galliae duās legiōnēs imperāvit.

[1] Note the condensed form and cf. Caes. *B.G.* I, 7; in review, *possent* may be used if conceived as under the influence of *imperāvit*.

[2] Or more idiomatically, *Quam mūnītiōnem Caesar fēcerat, eī Labiēnum praefēcit.*

[3] *propius flūmen* is possible, though this phrase is generally used with verbs of motion.

[4] *Prō Dīviciācō*, or even *Dīviciācō* alone, after the analogy of Caes. *B.G.* I, 20, *praeterita sē Dīviciācō condōnāre dīcit.*

Lesson IV

25. 1. Quantum frūmentōrum etiam tum in agrīs erat, vāstāvērunt. 2. Haeduī nihil reliquī frūmentī exercituī Caesaris habent.[1] 3. Satis praesidī meīs castrīs etiam nunc est. 4. Nihil praesidī novissimō agminī est. 5. Caesar aciem duārum legiōnum īnstrūxit. 6. Rōmānī auxiliīs fidem nōn habēbant.[2] 7. Auxilia Caesarī auxilium celeriter tulērunt atque etiam proxima hostium aciēī cōnstitērunt. 8. Haeduī Rōmānīs amīcī factī sunt atque satis frūmentī exercituī eōrum tulērunt. 9. Labiēnus summum montem occupāvit et impetum hostium exspectāvit. 10. Caesaris adventus auxilium aciēī tulit. 11. Gallī fortēs etiam cum optimīs Rōmānōrum cōpiīs contendēbant.[2] 12. Trēs ē Gallīs cum duōbus ē Rōmānīs contendērunt et superātī sunt. 13. Quantum reliquī frūmentī habēmus? Nihil; equitibus enim partem iam dederāmus. 14. Cōpiārum studium proelī maius fit. 15. Quantum studī proelī in exercitū est? 16. Legiōnum adventus auxilium nostrīs tulit, nam cum hostibus etiam tum contendēbant.

[1] When reviewing, the pupil may write *Haeduīs nihil est frūmentī reliquī in ūsum exercitūs Caesaris.*

[2] This tense expresses continued state or action; the perfect may be used here to state merely the fact.

Lesson V

32. 1. Magnō cum perīculō Caesar ad flūmen pervēnit. Trāns id flūmen omnēs Helvētiī sub altō monte in armīs eum exspectābant. 2. Itaque propter tempus[1] diēī, nam sub sōlis occāsum erat, castra in noctem posuit. 3. Parvus Caesaris exercitus erat prō magnō hostium numerō. 4. Per[2] noctem hostēs flūmen trānsībant et eius castra omnibus cum cōpiīs ācriter oppugnābant. 5. Multa tēla in[3] mūrum

coniciēbant atque eum ascendere cōnābantur. 6. Sed mīlitēs Caesaris sine timōre in eōs tēla coniciēbant et multōs interficiēbant. 7. Eōs in silvam in fugam dedērunt atque etiam [4] ducem eōrum cēpērunt. 8. Apud Caesarem dux captus ōrātiōnem habuit. 9. "Prō numerō cōpiārum tuārum fortissimē contrā nōs pugnāvistī. 10. Omnēs mīlitēs meī circum [5] castra tua aut interfectī sunt aut in fugam datī. 11. Ex castrīs meīs magnā in [6] spē exiī, sed maiōre nunc in timōre sum. 12. Duō ex fīliīs meīs mēcum erant. 13. Ante exercitum meum iter faciēbant et prō castrīs tuīs interfectī sunt. 14. Mortem prō victōriā ante noctem videō." 15. Ita locūtus est, et exercitus eius superātus praeter Caesarem iter fēcit atque arma mīlitibus Rōmānīs dedit. 16. Ad haec Caesar nihil respondit; sed Dīviciācus, quī in castrīs Caesaris erat, prō duce locūtus est.

[1] *hōram.*

[2] This, with the tense used, indicates repeated attacks throughout the night; for a single attack at some time in the night use *inter* and the perfect tense.

[3] *trāns.*

[4] Or, in review, *ipsum.*

[5] *ad.*

[6] May be omitted.

Lesson VI

36. 1. Hostēs cum omnibus cōpiīs iam magnās in Galliae silvās ierant. 2. Itaque Caesar ē castrīs mūnītīs postrīdiē exiit atque eōs omnī cum equitātū parvō intervāllō cōnsecūtus est. 3. Reliquus exercitus cum impedīmentīs sequēbātur. 4. Mīlitēs in itinere ā Dumnorīge, prīncipe Gallōrum, quī novissimō hostium agminī praeërat, magnopere impediēbantur. 5. Dumnorīx maximā virtūte tēlīs atque etiam gladiīs eōs aggressus est.[1] 6. Hīs dē causīs Rōmānī perterritī sunt, nam propter virtūtem et numerum hominum Gallī ācriter pugnāvērunt. 7. Nōn sōlum ex īnsidiīs

impetūs in nostrōs faciēbant, sed etiam agmen nostrum equitātū lacessēbant. 8. Lībertātī maximē student, et imperiō nostrō[2] dē eā dēspērant. 9. Nōs maximā virtūte eōs tēlīs saepe repellēbāmus. 10. Sed magnīs vōcibus nōs etiam ācrius aggrediēbantur.[3] 11. Eī quōs cēpimus sine timōre locūtī sunt: "Eās rēs, quās facimus, iūre bellī et lībertātis studiō facimus." 12. Mōribus nostrīs cum Gallīs contendimus. 13. Dē lībertāte pugnāmus, atque ad mortem omnī cum virtūte pugnābimus. 14. Nē magnō quidem exercitū vestrō Rōmānōs superāre potestis. 15. Sīc virtūte suā semper glōriābantur. 16. Sed ā Caesare bellō superātī sunt et in fīnēs suōs repulsī.[4]

[1] *adortus est.*

[2] *sed sub imperiō nostrō* may be used.

[3] *adoriēbantur.*

[4] It is not necessary to repeat the auxiliary; to use it once in a series of compound tenses in coördinate constructions is usually sufficient.

Lesson VII

43. 1. Ego certē[1] meam ipsīus virtūtem praestitī. 2. Nōs mīlitēs ipsī virtūtem nostram[2] contrā[3] hostēs praestābimus atque eōs in fugam dabimus. 3. Istud cōnsilium certē sine magnō perīculō mīlitum nostrōrum[2] nōbīs victōriam dabit. 4. Helvētiī vīcōs omnēs suōs, oppida, urbēs, aedificia incendērunt. Sē in fīnēs fīnitimōrum recēpērunt et eōrum agrōs vāstābant.[4] 5. Iūlius ille Caesar huic exercituī praeërat. 6. Ego quidem optimā cum legiōne meā ad Galliam erās proficīscar, sed tū[5] cum reliquīs cōpiīs meīs in castra mūnīta mea tē recipiēs. 7. Equitēs meōs ipsīus, auxilia, arma ad tē mittam: prōvinciam tibi superābunt. 8. Haeduī et Helvētiī Galliam incolēbant; Rōmānōrum illī amīcī semper erant, hī hostēs. 9. Gallī

fīnitimōs suōs ex īnsidiīs aggrediuntur,[6] sed nostrōs ita superāre nōn poterunt. 10. Hīs maximam fidem habeō; illī autem amīcos etiam ex īnsidiīs aggredientur. 11. Caesar suōs in silvam nōn mittet, nam hāc in silvā hostēs cōpiās suās in īnsidiīs tenent.[7] 12. Caesar Labiēnum, amīcum suum, hanc in prōvinciam mīsit, sed fīlium suum [8] in castrīs retinuit. 13. Caesarem certē exspectābis, nam sine illō mīlitēs tuī superāre nōn poterunt. Eum nōn exspectābō, sed in prōvinciam mē recipiam. 14. Caesarem, imperātōrem illum, ipse vīdī. 15. Illud cōnsilium hostēs nōbīs nōn superābit.[9] 16. Mūnītiōnēs ipsae castrōrum hostēs perterruērunt.

[1] *quidem.* [2] May be omitted. [3] *ad, in.*
[4] *vāstāre cōnābantur.* [5] *tū autem.* [6] *adoriuntur.* [7] *habent.*
[8] Caesar's own son; to indicate Labienus' son, use *eius.*
[9] If this use of the dative seems forced, the sentence can be rewritten thus: *Illō cōnsiliō hostēs nōn superābimus.*

Lesson VIII

47. 1. Caesar Labiēnō trīs legiōnēs dedit, cuius nōmen Gallī timēbant. 2. Ego certē meam virtūtem imperātōrī praestābō; fac tū quod tibi placet.[1] 3. Caesar ab explōrātōribus certior eīs dē rēbus factus est quae in castrīs hostium gerēbantur. 4. Ipse ad montēs ībō, ubi multōs amīcōs vidēbō. 5. Omnia hostium cōnsilia imperātōrī Rōmānō nūntiāta sunt. Quibus rēbus commōtus, Caesarem per nūntiōs certiōrem celeriter fēcit. 6. Rhēnum saepe ego trānsiī, quod flūmen maximum est. 7. Quī Caesarem ibi aggressī sunt Germānī erant. Impetum, id quod [2] sine magnō perīculō fierī nōn potest, in castra eius mūnīta fēcērunt. 8. Quae illī explōrātōrēs dē itinere hostium tibi nūntiābunt, dē eīs fac nōs certiōrēs. 9. Quō itinere Caesar herī iit,

eōdem erās nōs proficīscēmur. 10. Hoc cōnsilium intereā capiēmus, quod ex omnibus, quae hīc sunt prōposita, optimum esse vidētur. 11. Castra, Imperātor, ante lūcem movē, id quod [2] magnō ex ūsū exercituī erit, celerius enim illud oppidum capere poterimus. 12. Quās litterās ad mē dē istō tuō cōnsiliō mīsistī, eās nōndum recēpī.[3] 13. Certior modo factus sum dē dēditiōne castrōrum, quī [4] locus mūnītissimus erat. 14. Hic est exercitus ipse quī oppidum mūnītiōnēsque tam fortiter expugnāvit, quae [5] cōpiae hostium tenēbant. 15. Gallī hīberna Caesaris mūnītiōnēsque oppugnābant, quae [5] in rīpā flūminis ipse posuerat. 16. Quae castra hīc mūnīvī, ea ā Gallīs occupāta sunt, quōs aggrediar atque in fugam dabō.

[1] *placēbit.* [2] *quae rēs.* [3] *accēpī.* [4] **45** *a.* [5] Or *quās.*

Lesson IX

51. 1. Quis adest? Complūrēs. Quīdam ex hīs mīlitēs Caesaris sunt, sed reliquōs nōn cōgnōscō. 2. Sēquanī et Helvētiī obsidēs inter sē dedērunt. 3. Scūta, quae inter nōs dedimus, āmīsimus. 4. Nē tum quidem quisquam pedem rettulit et perīculum vītāvit. 5. Quīcumque novīs rēbus studēbant, eī omnēs in ōrdinibus hostium cōnstitērunt. 6. Quīdam ā Caesare hūc vēnit et Gallōs ab eō superātōs [1] nūntiāvit. 7. Sī quis scūtum in proeliō āmittit, magnō in perīculō est. 8. Sī quid frūmentī vōs hominēs vultis, erās revertiminī; [2] aliquis enim id vōbīs tum dabit. 9. Quīdam ex auxiliīs Gallōrum nostrōs ab apertō latere aggressī sunt. 10. Fortissimum quemque imperātor centuriōnem in aciem hostium cum eius cohorte mīsit. 11. Centuriō quisque cōnstitit, nec pedem rettulit, sed impetum hostium fortiter sustinuit. 12. Sī quid hīc in castrīs tibi nōn placet, ad urbem revertere. 13. Fortissimus quisque mīles imperā-

tōrem circumstitit, atque eum ex perīculō ad quendam vīcum rettulit. 14. Quid perīculī est? Quod bellum timēmus? 15. Quīcumque ā Caesare hūc veniet, eum ad mē mitte. 16. Quodcumque vīs, habēbis.

[1] *Gallicam eius victōriam.*

[2] Watch these apparently coördinate English clauses: 'and' is clearly inappropriate here.

Lesson X

56. 1. Utrum timor an officium apud te[1] plūs valet? 2. Num ab officiō in populum Rōmānum discēdēs? 3. Quis es? Aut cūr ad mē vēnistī? Aut quid tibi petis? 4. Cūr proelium cum hostibus in summō colle commīsistī? 5. Nōnne hunc populum in officiō continēre potes? 6. Utrum ad Galliam an ad Germāniam proficīsceris? 7. Num salūtem tuam Gallōrum equitibus committere audēs? Minimē vērō. 8. Statimne proelium equestre cum hostibus committēs? Ita.[2] 9. Utrum castra magnō cum perīculō dēfendere māvīs, an salūtem fugā petere? 10. Num tū rem pūblicam umquam dēserēs? Numquam certē ego dēseram. 11. Nōnne prō mē hoc eī persuādēbis?[3] Minimē vērō. Persuāsum enim hoc eī iam est; nihil tamen prō tē faciet.[3] 12. Cūr mē tēcum in Galliam dūcere nōn potes? 13. Utrum castra, quae sub īmō colle sunt posita, incendēmus,[4] an remanēbimus[4] atque ea dēfendēmus?[4] 14. Eōne crās ībis? Certē. Utrum revertēris an ibi remanēbis? 15. Secundumne illud proelium equestre herī an adversum fuit? 16. Num quid, Centuriō, ibi facis? Certē; Caesarem exspectō. Hodiēne veniet? Vērō.

[1] *vōs.*

[2] *Proelium vērō committam.*

[3] *persuādēre vīs . . . facere vult.*

[4] Or, in review use deliberative subjunctives: *incendāmus . . . remaneāmus . . . dēfendāmus.*

Lesson XI

61. 1. Posterō diē Rōmam rediī, complūrēs enim mēnsēs iam in Galliā fueram.[1] 2. Quīnque hōrās continuās in rīpā flūminis pugnābātur. 3. Ad hostium mūnītiōnēs, Lēgāte, vel secundā vel tertiā vigiliā, ut tibi placet,[2] prōgredere. 4. Nē quisquam quidem hostium hīs in omnibus prōvinciīs relictus est. 5. Proximam in noctem profectiōnem cōnfīrmāverant. 6. Octō Caesar annōs in Galliā bellum gerēbat, nam aut Gallōs vincere aut morī cōnstituerat. 7. Quīdam ex mīlitibus Caesaris Rōmae octō annīs nōn fuerant, nam aut Vesontiōne aut Ocelī plērumque hiemābant. 8. Labiēnus ad Caesarem Genavam nūntiōs de calamitāte mīsit. 9. Genavam ad hōram pervēnērunt nōnam et omnia nūntiāvērunt. 10. Summā celeritāte Caesar suōs ad iter parābat, et Genavā ante noctem exiit. 11. Illā ipsā nocte exercitus, mīlia passuum sēdecim prōgressus,[3] in silvā locō aliēnō castra trīs hōrās posuit. 12. Cōpiās parā, nam hostēs tē prīmā lūce aggredientur. 13. Hostēs in palūde cōnstiterant, atque ibi impetum nostrōrum exspectābant. 14. Tribus nostrī hōrīs eōs ē palūde expulerant atque quīnque mīlia passuum in silvam reppulerant. 15. Haeduī commeātūs ad Caesarem carrīs ferēbant,[4] quōs carrōs locō aequō extrā mūnītiōnēs cōnsistere coēgit. 16. Lēgātus nōn aequus est, legiōnem enim ūsque ad mediam noctem iter facere cōgit, sed ipse[5] cum praesidiō suō quiētis causā cōnsistit.[6]

[1] *eram.*

[2] *placēbit;* or the *ut* clause may even be omitted, the idea of free choice being sufficiently indicated by *vel . . . vel.*

[3] Take advantage of the deponent participle to avoid the coördinating construction.

[4] *portābant.* [5] *ipse autem.* [6] *cōnsīdit.*

Lesson XII

65. 1. Ōrdinēs subitō perturbābantur[1] atque hostēs aliī aliam in partem in fugam datī sunt. 2. Alter Caesaris lēgātus peditibus, equitibus alter praeërat: uterque imperātōrī suō ac cīvitātī officium bene praestābat.[2] 3. Neutrī auxiliōrum Gallicōrum ducī magnam fidem habent Rōmānī. 4. Quīnque cohortēs nūllō certō ōrdine, aliae ex aliā legiōne, impetum in hostēs ab apertō latere fēcērunt. 5. Alterī in[3] montem celeriter sē recēpērunt, alterī in nostrōs ab apertō latere impetum ācriter fēcērunt. 6. Duae fīliae prīncipis et fīlius parvus unīus ex fīliīs eius captī sunt atque obsidēs[4] retentī. 7. Caesarī sōlī ex omnibus imperātōribus Rōmānīs senātus tōtam prōvinciam Galliam commīsit. 8. Sī nihil reliquī frūmentī habēs,[5] erās sine ullō perīculō in castra Caesaris magnō itinere pervenīre poteris. 9. Neuter centuriō officium vel imperātōrī vel cīvitātī bene praestitit. 10. Nūntiōrum aliī alia nūntiant. 11. Barbarī illī imperium tōtīus prōvinciae obtinēre volunt. 12. Nihil vīnī neque ūlla omnīnō iūmenta in fīnēs suōs importārī patiuntur. 13. Neutrum vestrum tōtī legiōnī praeficiam, nam magnam fidem vōbīs nōn habeō. 14. Nūlla amīcitia mihi tēcum esse potest; nam tū in Galliā cum exercitū remanēs, neque inopia quidem reī frūmentāriae tē in fīnēs tuōs repellet. 15. Multitūdine tēlōrum hominēs decimae legiōnis sōlī hostēs ex utrīsque castrīs in alteram flūminis rīpam expellunt. 16. Populī Rōmānī cōnsuētūdō nōn est ūllās pācis condiciōnēs hostī dare: vōs itaque ego neque hīc remanēre neque omnīnō in Galliā cōnsīdere patiar.

[1] The imperfect expresses the beginning of the confusion; for the mere fact, use the perfect.

[2] They habitually performed these duties: tense?

[3] They fled to the mountain and ascended it; *ad* would mean 'toward' the mountain. [4] *prō obsidibus.* [5] *Sī nihil . . . tibi est.*

Lesson XIII

68. 1. Americānī neque mōribus neque īnstitūtīs quidem ā Britannīs multum differunt. 2. Rōmānī et Gallī virtūte inter sē multum[1] differunt. 3. Silvae Galliae et Germāniae inter sē plūrimum arborum generibus differunt quae in eīs inveniuntur. 4. Parvī Gallōrum equī, apud eōs nātī et alitī, et magnitūdine et nātūrā et speciē ā magnīs iūmentīs differunt quae in eōrum fīnēs dūximus.[2] 5. Decem mīlia passuum exercitus Rōmānus ad flūmen quoddam, Arārim nōmine, prōgressus est. 6. Exercitus Gallōrum numerō hominum plūrimum poterat, sed virtūte[3] vel minimum vel nihil valēbat. 7. Undique impetus hoc in oppidum, Ocelum nōmine, ūnō tempore factus est. 8. Rēbus gestīs Rōmānōs cum Gallīs vix cōnferre possum. 9. Ferī nātūrā, consuētūdine barbarī sunt Gallī. 10. Diū et ācriter pugnābātur; sed ad extrēmum, vulneribus paene exanimātī et numerō hominum īnferiōrēs, Gallī fūgērunt. 11. Ut hōc in longō bellō vidēbātur, Rōmānī hostēs scientiā et ūsū reī mīlitāris longē antecēdēbant. 12. Omnēs ferē urbēs Gallicae ā Rōmā magnitūdine et speciē plūrimum differunt. 13. Gallī et Rōmānī scientiā reī mīlitāris inter sē plūrimum differunt. 14. Caesar omnēs hominēs rēbus gestīs antecessit. 15. Ego et tū speciē et magnitūdine inter nōs differimus. 16. Vōs aliter ac Gallī equōs alitis, atque vestrī magnitūdine antecēdunt.

[1] *plūrimum.*

[2] If the idea is that of leading, use *dūximus;* if driving is to be indicated, use *ēgimus.*

[3] *virtūte autem.*

Lesson XIV

76. 1. Hominem fortiōrem quam tū es exercituī praeficiam. 2. Pontēs in flūminibus Rhēnō lātiōribus facere

numquam dubitāvī. 3. Castrīs quam sēdibus hic locus magis idōneus est. 4. Exercitus meus quam Caesaris tribus mīlibus hominum maior est. 5. Ex illō locō Caesar adversō flūmine iter fēcit et ad castra hostium, quae quīnque mīlia[1] passuum ā Vesontiōne posita sunt, celerius omnium opīniōne pervēnit. 6. Castra hostium minus duo mīlia[2] passuum aberant. Itaque Caesar cōpiās ex mūnītiōnibus ēdūxit atque hōrum ad castrōrum portās accessit.[3] 7. Hodiē minus decem mīlia[1] passuum prōgrediar. Inde cōnsistam et cōpiās meās superiōre in locō nōn longius tribus mīlibus passuum ab hostibus collocābō. 8. Helvētiī in armīs sunt; item Sēquanī, commūnis salūtis causā, summā virtūte abhinc tribus diēbus[4] arma cēpērunt. 9. Unum iter per Sēquanōs relinquēbātur, quō paucīs ante annīs cōpiās domum Helvētiī redūxerant. 10. Quō īs? Vesontiōnem eō; minus decem mīlibus passuum abest, atque ibi nōn longius mille passūs ab hostibus aberō. 11. Eōs hodiē nōn aggrediar, sed mīlitibus meīs quiētem labōrum dabō. Crās autem multō celerius opīniōne hostium prōgrediar. 12. Cōpiae hostium ad flūmen lātissimum atque altissimum tribus ante diēbus pervēnerant, quod ā nōbīs minus duō mīlia[2] passuum aberat; quō in flūmine pōns erat. 13. Hic labor, Imperātor, aliquantō gravior cōpiīs meīs est; nam duōbus tantum diēbus ante adventum tuum proelium fēcerant. 14. Ad nostra castra abhinc tribus diēbus[4] cum omnibus cōpiīs paulō celerius opīniōne pervēnit. 15. Caesar ille pontēs quam optimōs faciēbat. Meliōrem illō,[5] quem in Rhēnō fēcit, pontem numquam ego vīdī. 16. Hī montēs multō altiōrēs sunt quam quōs in fīnibus nostrīs vidēmus.

[1] *mīlibus.* [2] *duōbus mīlibus.*
[3] *portīs appropinquāvit.* [4] *abhinc trēs diēs.*
[5] *Meliōrem ponte, quem . . . fēcit, numquam,* etc.

Lesson XV

84. 1. Quantum exercitūs, Lēgāte, satis vidētur praesidiō utrīsque castrīs relinque, reliquōs autem praemitte quī hostēs ē silvīs expellant. 2. Amīcitia populī Rōmānī praesidiō cuivīs est. 3. Exercitus, quem Caesar in Galliā habet, praesidiō sociīs Rōmānōrum est. 4. Equitēs praemīsit quī locum castrīs dēligerent. 5. Statim, Centuriō, nostrīs subsidiō quattuor cohortēs ēdūc. 6. Cōnsuētūdine suā concilium tōtīus Galliae convocāvērunt ad pācem cum Rōmānīs cōnfīrmandam. 7. Cōpiās abhinc trēs diēs pontem trādūxī, quō facilius oppidum occupārem. 8. Rem frūmentāriam, hominēs, in oppidum mittite, nē praesidium ex inopiā labōret. 9. Lēgātōs ad Gallōs ad pācem cōnfīrmandam mittam. 10. Concilium celeriter dīmīsit, sed Dīviciācum retinuit ut [1] dē cōnsiliīs Gallōrum certior fieret. 11. Duābus hōrīs prōgrediar apertumque locum castrīs reperīre cōnābor, nē mē hostēs noctū aggrediantur.[2] 12. Captīvōs in castra mittam, nē ā barbarīs, quibus nunc appropinquāmus, ēripiantur. 13. Haec victōria ex ūsū exercituī nostrō ad bellum erit, ut hae nātiōnēs, quae ā Gallīs auxiliō arcessītae sunt, in reliquum tempus fidem servent. 14. Imperātor statim profectus est, nē quid temporis intermitteret; neque explōrātōrēs praemīsit, nē hostēs suum in fīnēs ipsōrum adventum audīrent. 15. Duās legiōnēs mīsit ad mūnītiōnēs hostium expugnandās.[3] 16. Omnem equitātum ad sē convocāvit, quō celerius hostēs cōnsequerētur.[4]

[1] The comparative here is so involved with the verb in an idiomatic expression that *ut* is employed instead of *quō*.

[2] Since both the common verbs for 'attack,' *aggredior* and *adorior*, are deponent, the construction must here be changed to an active form in English before translating.

[3] *quī . . . expugnārent.*

[4] *cōnsequī posset.*

Lesson XVI

88. 1. Ex mīlitibus quīdam dēlēctī sunt quī pontem in Rhēnō facerent: Dēlēctī sunt quīdam ex mīlitibus, etc.: Ut pontem . . . facerent quīdam ex mīlitibus, etc. 2. Hī mīlitēs operam dedērunt ut pontem decem diēbus perficerent. 3. Dē Gallīs questum ad tē vēnī. 4. Haec omnia fēcistīs nōn vestrī dēfendendī, sed sociōrum nostrōrum aggrediendōrum causā. 5. Pontem in Rhēnō faciendum cūrābō; quod ut cōnficiam, lēgātī ad Caesarem mittuntur. 6. Tibi, Centuriō, hanc cohortem dō ad castra redūcendam. 7. Arborēs parvās colligēbant, quibus fossam quae prō castrīs Rōmānōrum erat complērent: Ad fossam complendam, quae . . . erat, arborēs, etc.: 8. Arborēs magnae et permultae in silvā ac prope rīpam flūminis erant, quibus mīlitēs pontem facerent:[1] Ad pontem faciendum arborēs . . . erant. 9. Ut tē videam vēnī meī contrā īnsidiās Galbae dēfendendī causā. 10. Exercitum per montēs mittendum cūrāvī ut Gallōs perterream quī cōpiās collēgērunt ut in prōvinciam nostram trānseant. 11. Nōn tibi quidem ut bellum īnferam, sed Allobrogibus vēnī. 12. Magnās arborēs potius quam parvās dēligō, quibus pontēs faciam: Ad pontēs faciendōs magnās arborēs, etc. 13. Nūlla gēns in Galliā reliqua est cui bellum īnferam. 14. Cūr omnēs mīlitēs clāmōrem in castrīs tollunt? Sīgna accēpērunt modo mīlitāria quibuscum contrā hostēs ēgrediantur. 15. Castellum modo perfēcerant in eō locō quem suī dēfendendī causā dēlēgerant. 16. Legiō Labiēnō data est in hīberna apud Rēmōs dūcenda.

[1] *quibus pōns ā mīlitibus fieret.*

Lesson XVII

93. 1. Tē iam monuī ut omnēs suspiciōnēs in reliquum tempus vītēs. 2. Caesar captīvōs domum revertī iussit,

et fīnitimīs imperāvit ut eīs cōpiam frūmentī darent. 3. Labiēnus, ut eī praeceptum erat ut montem tenēret, hostibus ibi fortiter restitit. 4. Imperātor suōs hortātus est ut cōnsisterent atque impetum hostium fortiter sustinērent. 5. Tē, Imperātor, rogāmus ut operam dēs nē nōs per montēs mittī[1] patiāris. 6. Mīlitēs subitō convēnērunt clāmōremque sustulērunt, ā Caesare postulantēs ut sē ipsōs ē castrīs ēgredī ac domum revertī paterētur. 7. Inopiā reī frūmentāriae adductus et multitūdine hostium, quī circum castra erant, Caesar ēruptiōnem fierī vetuerat eō cōnsiliō ut hostibus persuādēret ut sē ipsum intra mūrōs aggrederentur. 8. Mīlitibus modo imperāvī ut prōgrediantur, *or* Mīlitēs modo prōgredī iussī. 9. Praeceptum erat nē auxilia bellum fīnitimīs suīs ipsōrum īnferre cōgerentur.[2] 10. Nōndum addūcor ut explōrātōrēs dīmittam quī frūmentum petant. 11. Mihi nōndum est persuāsum ut exercitum captum sub iugum mittam. 12. Hoc ad extrēmum mihi est persuāsum, nē mīlitēs domum redīre patiar.[3] 13. Caesar suōs, ut hostibus fortiter resisterent, hortātus est, et ipse in eōrum aciem impetum celeriter dūxit. 14. Tuōs, Imperātor, hortāre ut cīvitātī officium praestent. 15. Vōs nōn hortor, sed moneō, ut pedem referātis. 16. Ā tē petō ut mīlitēs tuōs ad mē quam celerrimē venīre iubeās.

[1] Or *nē patiāris ut nōs . . . mittāmur; patior* when itself negatived admits *ut* (*nē*) and the subjunctive.

[2] To throw the dependent clause into the active voice, as it is written in the English, a subject for it must be provided: *nē quis . . . cōgeret.* [3] Cf. note 1.

Lesson XVIII

99. 1. Tantus timor animōs Gallōrum, quī oppida incolunt,[1] occupāverat, ut Germānōrum manibus resistere nōn audērent. 2. Tum erat ūna omnīnō legiō in castrīs,

ita ut quīdam ex mīlitibus, dē rēbus dēspērantēs, dē praesidiō ad hostēs fugerent et arma trāderent. 3. Belgae nostrōs tam ācriter aggrediēbantur ut hī vix ad noctem sustinēre[2] possent. 4. Accidit ut hī hominēs imperium[3] Galliae obtinēre nōn possent. 5. Haec[4] rēs efficiēbat ut frūmentum in castra sine ūllō perīculō īnferrī posset. 6. Omnēs arma manibus ferēbant, ut eōs in castra nostra[5] venīre patī nōllēmus. 7. Tam parva manus hostium erat ut agrōs sociōrum nostrōrum vāstāre aut oppida oppugnāre vix posset. 8. Illō in proeliō vulnera mīlitum tam gravia fuērunt ut quartum iam diem Caesar in castrīs morētur.[6] 9. Tam saepe Germānī Rhēnum trānsībant,[7] ut Galliam habēre prōvinciam suam ipsōrum iam cōnsuērint. 10. Efficiam ut nāvēs obtineātis quibus in Britanniam trānseātis. 11. Oppidum tam ācriter oppugnārī coeptum est ut praesidium nihil reī frūmentāriae obtinēre posset. 12. Tam diū in castrīs morābor ut hostēs cōnsilia mea nōn perspiciant. 13. Ita Galliam vīcimus ut nēmō omnīnō nōbīs ibi resistat. 14. Cōnsilia tua nondum perspēxī, quae rēs ita mē morāta est ut mūnītiōnem castrōrum perficere nōn potuerim. 15. Certē accidet[8] ut vincāris. 16. Caesar Belgās ita vīcit ut populī Rōmānī sociī hodiē sint.

[1] *quī in oppidīs sunt.*

[2] An object of *sustinēre* may be written, *sē* or *impetum eōrum*, according to the point of view; also, *eōs* (= *Belgās*). [3] *prīncipātum.*

[4] Had this sentence referred to anything preceding, *quae* would have been necessary here.

[5] The Latin requires a pronoun to identify the camp.

[6] If he *has* delayed three days and is still delaying, he is therefore *delaying his fourth day*. The Romans always reasoned thus.

[7] *trānsīre coeperant* might have been used; a form of *incipiō* would have implied that they had begun to cross and had failed. Instead of *tam saepe* we may use *totiēns*. [8] *fiet, erit.*

Lesson XIX

104. 1. Diem ex diē Haeduōs frūmentum rogābat, quod eī nōn dabant, nam Dumnorīx eīs persuāserat nē quid Rōmānīs darent. 2. Diū et ācriter pugnātum est:[1] nostrī tandem castrīs impedīmentīsque Ariovistī potītī sunt. 3. Caesar Rōmānōs rem mīlitārem docuit. 4. Dē eō proeliō, in quō Dumnorīx cum equitibus suīs fūgerat, Caesar ā Dīviciācō sententiam rogātus est. 5. Tōtam hiemem fortēs Belgārum mīlitēs Germānōs fīnibus suīs prohibēbant. 6. Hostēs ā Caesare proeliō, quod Ocelī pugnātum est,[2] graviter victī sunt; quō proeliō prōvincia omnī perīculō līberāta est. 7. Contrā Gallōs castra habēbimus atque sociōrum oppida oppugnātiōne[3] et ipsōs timōre līberābimus. 8. Tōtam aestātem exercitus noster frūmentō ūtitur, quod ex agrīs hostium ēripit,[4] sed hieme iūmentīs ūtī cōgimur quae id ad nōs ē prōvinciā referant. 9. Mīlitī, quī in tertiā aciē erat, scūtum ēripuit, quō contrā quendam ex hostibus ūterētur quī sē ipsum aggressus erat. 10. E Sēquanīs causam bellī quaesīvit. "Bellum suscēpimus," respondērunt, "ut nōs perīculō et agrōs ab hostibus prohibeāmus." 11. Ad flūmen ācriter pugnātum est. Priōrēs enim trānsīre cōnābantur, sed in ipsō flūmine interfectī aut graviter vulnerātī sunt. Reliquī tamen per eōrum corpora fortissimē trānsiērunt. 12. Sinistrā mīlitēs scūtō, gladiō dextrā, ūtuntur. 13. Tē moneō nē peditibus ad id iter ūtāris, quō celerius post proelium redeās nēve morārī cōgāris. 14. Mīlitem tēlum subitō rogāvit, atque gladium quoque eī ēripuit. 15. Et peditibus et equitibus ūtere, quō celerius hīs castrīs potiāris. 16. Et hostēs oppidīs vestrīs prohibēbō et vōs ipsōs omnī timōre līberābō.

[1] *pugnābātur.*

[2] Or *proeliō Ocelēnsī.*

[3] *obsidiōne.*

[4] *frūmentō ex agrīs hostium ēreptō.*

Lesson XX

108. 1. Hominēs mercātōrēs in oppidīs circumsistunt, quae rēs est Gallicae cōnsuētūdinis, et eōs hīs dē regiōnibus omnia dīcere cōgunt unde veniunt. 2. Collis nōn magnae altitūdinis in extrēmā silvā erat, quem mīlitēs minōris virtūtis quam nostrī ascendere numquam audēbant. 3. Meum est meōs in bellō, quantum poterō, morte prohibēre; numquam tamen locum meum dēseram neque ab officiō imperātōrī atque reī pūblicae discēdam. 4. Summum dē bellō iūdicium Caesaris est, neque sine eō proelium committere audeō. 5. Mīles est magnae auctōritātis, atque mē adventum suum hīc exspectāre iussit. 6. Utrum Ariovistī Gallia est an populī Rōmānī? 7. Hoc cūr rogās? Gallōrum ipsōrum summō iūre Gallia est; sed in bellō hominēs magnae virtūtis nōn sunt, neque ipsi suōs fīnēs dēfendere possunt. 8. Germānī maximae magnitūdinis corporum sunt, ita ut nostrī prīmō magnopere perterritī sint. 9. Mercātōribus aditus ad Germānōs eā dē causā est, ut habeant quī sibi eās rēs nūntient quae in Galliā geruntur. 10. Ad hostēs prohibendōs Caesar tōta castra vāllō decem pedum circumdedit. 11. Hic exercitus meus est. Quō iūre hūc tū venīs ut eum mihi ēripiās? 12. Mihi sunt quīnque cohortēs mīlitum quās mēcum trēs iam annōs habeō. 13. Caesar maximā celeritāte iter vīgintī mīlium passuum quīnque hōrīs cōnfēcit, quō maiōribus subsidiīs oppidum Ocelum dēfenderet. 14. Labiēnus tribus cum mīlibus hominum summae virtūtis auxiliō Caesarī celeriter iter fēcit. 15. Imperātōrēs Rōmānī suōs per collēs montēsque multōs continuōs diēs dūxērunt neque eīs ūllam in castrīs quiētem dedērunt, quae rēs ut essent maximī labōris efficiēbat. 16. Tria mīlia equōrum sunt hōrum barbarōrum, quibuscum trīduī iter paulō amplius duōbus diēbus confēcērunt.

Lesson XXI

116. 1. Castra vāllō sēdecim pedum in altitūdinem circumdata sunt, quod ab hominibus maximae virtūtis perītissimīsque reī mīlitāris dēfēnsum est. 2. Dumnorīx Dīviciācī frāter erat; summae etiam vir grātiae apud gentem suam fuit atque tam cupidus novārum rērum ut ā Rōmānīs dēficeret. 3. Flūmen, cuius in rīpā castra posita erant, circiter decem pedum in altitūdinem erat et ducentōrum passuum in lātitūdinem, et ab ūnō latere fīnēs Belgārum continēbat. 4. Mercātōribus aditus nōn est hās ad nātiōnēs barbarās, quārum agrī bonōrum frūmentōrum plēnī sunt, quae magnō pretiō vēndere possunt; quam rem ipsī intellegunt.[1] 5. Mercātōrēs bona sua multō plūris vēndere mālunt quam emunt. 6. Haec victōria Rōmānīs multīs hominibus multīsque impedīmentīs stetit. 7. Vāllum decem pedum in altitūdinem et duo mīlia passuum longum perdūxit, castra enim nūllam aliam mūnītiōnem habēbant.[2] 8. Quid nunc sibi vult? Nihil reī frūmentāriae reliquae habet, et exercituī frūmentum multō maiōre pretiō emere vult. 9. Silva hominum plēna est quī sē in hostēs in flūmine impedītōs ēiciant. 10. Quod proelium commissum est ad extrēmum fuit secundum, sed imperātōrī multīs hominibus stetit; nam fortium mīlitum est ad mortem ipsam pugnāre. 11. Helvētiī virtūtis maiōrum semper meminerant, ut cum quālibet nātiōne pugnāre semper vellent. 12. Caesar Labiēnum monuerat ut equitēs ad novissimum hostium agmen aggrediendum semper mitteret nēve umquam exercitum dīvideret. Quod autem Labiēnus illō diē oblītus est.

---

13. Imperātōrem proelī adversī ita pudet, ut Rōmam sē recēperit, atque mē eius maximē miseret. 14. Quae cōnsilia celeriter cēpērunt, eōrum hōs barbarōs necessāriō[3] semper

paenitet. 15. Mē Haeduōrum miseret; hostēs enim populī Rōmānī, quī etiam eōrum hostēs sunt, eīs ut dēficiant persuāsērunt. 16. Meā hoc maximē rēfert;[4] sed quō modō reī pūblicae?

[1] *cuius quidem reī ipsī cōnsciī sunt.*

[2] *castrīs enim nūlla . . . erat.*

[3] The adverb avoids the difficulty of an impersonal infinitive depending on a passive verb of compelling. [4] *interest.*

Lesson XXII

119. 1. Poena fuit ut interficerētur. 2. Complūrēs rēs Caesarem cohortābantur ut oppidum oppugnāret: fuga maiōris partis exercitūs, atque quod in suīs ipsīus castrīs inopia reī frūmentāriae esset. 3. Cōnsilium Caesaris erat ut Labiēnus montem tantum tenēret, neque omnīnō hostēs aggrederētur. 4. Huius fugae causa fuit quod multitūdō Germānōrum equitēs Gallicōs subitō aggressa est. 5. Equitēs Ariovistī nostrōs paulātim circumveniēbant eō cōnsiliō, ut in eōs gladiīs impetum subitō facerent. 6. Hoc quidem effēcī, ut Rhēnum trānsīre nōn possint. 7. Multīs rēbus impedītus sum: prīmum, quod auxiliīs quae Gallī ad mē mīsērunt minimam fidem habeō. 8. Quod nūllus imperātor Rōmānus ante effēcerat, id ipsum Caesar assecūtus est,[1] ut Gallī sē ipsum exercitumque oppidīs prohibēre nōn cōnārentur et frūmentum semper sibi (ipsī) darent. 9. Id ipsum ego iam fēcī quod tū facere numquam poteris, ut illum montem ascendās. 10. Hoc ā tē vehementissimē petō, nē mē cum equitātū praemittās. 11. Hoc tibi maximē praecipiō, ut fortiter īnstēs nēve hostēs aggredī dubitēs. 12. Haec fuit huius adversī proelī causa, quod dūx equitum, hostēs celerius cōnsecūtus, proelium cum eīs aliēnō locō commīserat. 13. Hoc mīlitibus maximē praecēpī, ut omnem ad cāsum parātī essent. 14. Gallīs eā dē causā minimam

fidem habeō, quod numquam ad ūllum cāsum parātī esse videntur. 15. Hic cāsus nōbīs subitō aderat, ut cum manū hostium ab utrōque latere ūnō tempore pugnāre cōgerēmur. 16. Haec poena gravissima est, ut aliquis interficiātur.

[1] *effēcit* is possible, but the change of verb improves the sentence.

Lesson XXIII

124. 1. Semper recūsābō quōminus tuō sub imperiō sim. 2. Nōn dubitō quīn mīlitēs nostrī hostēs flūmen trānsīre prohibēre fortiter cōnātī sint, sed tamen īnstābant hostēs. 3. Tē dēterrēbō quōminus ūllam ōrātiōnem hodiē habēre cōnēris. 4. Hostēs retinērī nōn poterant quīn tēla in nostrōs conicerent. 5. Nōn est dubium, amīcī meī sociīque, quīn exercituī meō frūmentum dare numquam recūsārītis. 6. Vereor nē aciem hostēs nostram premant. 7. Vereor ut oppidum expugnāre possīs. 8. Caesar nōn verēbātur nē hostēs nōn[1] vinceret. 9. Gallī verēbantur nē ā nostrīs circumvenīrentur, quī iam tum eōs ab apertō latere aggrediēbantur. 10. Timor nē ā manibus hostium vincerētur imperātōrem in mūnītīs castrīs continēbat. 11. Timor ut satis reī frūmentāriae esset Gallōs longius prōgredī prohibuit. 12. Prīmum, vereor nē exercitus hostium maior nostrō sit; deinde, ut loca superiōra tenēre possīmus. 13. Verērisne ut ad proelium parātus sīs? Minimē vērō; sed timeō nē hostēs cōnsequī magnamque praedam obtinēre prohibear. 14. Vereor exercitum meum in eās silvās dūcere, nē hostēs ex īnsidiīs sēsē ēiciant et nōs aggrediantur. 15. Ducēs Gallicī suōs retinēre cōnārī verēbantur quōminus tēla in lēgātum conicerent. 16. Nōn est dubium quīn meī operam nōn dederint ut flūmen trānseant; prohibēbantur autem hoc facere eō timōre, nē hostēs sē ipsōs in flūmine aggrederentur.

[1] Use *nē . . . nōn*, because the verb of fear is itself negative.

Lesson XXIV

132. 1. Dum Caesar iter ad Labiēnum facit, explōrātōrēs cotīdiē praemīsit quī iter explōrārent. 2. Postquam subsidia omnem ad cāsum parāvit, locō superiōre cōnstitit et impetum hostium exspectāvit. 3. Quamdiū poterant, tam diū hostēs exercituī nostrō restitērunt, sed ad extrēmum pedem referre coepērunt, paulātim prīmō, posteā summā celeritāte. 4. Multa fient priusquam tē videō. 5. Exercitum eōrum prius aggredī volō, quam aliquō cāsū in castra mūnīta pervenīre possit. 6. Caesar nōn prius hostēs aggressus est, quam vīgintī omnīnō passūs ab aciē suā āfuērunt.[1] 7. Caesar cōpiās duōrum lēgātōrum exspectāvit quoad hostēs flūmen trānsiērunt et ad ipsās castrōrum portās accessērunt.[2] 8. Ego quidem in prōvinciā nōn morābor dum hostēs in fīnēs sociōrum pervēnerint. 9. Caesar exspectāvit dum hostēs flūmen trānsīrent neque cum tantō exercitū facile fugere possent. Aggressus ācriter eōs tum est. 10. Dum Caesar cum Ariovistō colloquitur, Germānī in mīlitēs decimae legiōnis tēla conicere coepērunt. 11. Quamdiū Caesar in Galliā remanēbat, cum prīncipibus Gallicīs dē rē pūblicā saepe colloquēbātur. 12. Quoad cum Caesare collocūtus sum exspectāre coāctus sum priusquam tē dē eius cōnsiliīs certiōrem facere possem. 13. Postquam dē Gallōrum cōnsiliīs certior factus est, bellum ita parāvit ut Gallia līberāta sit.

---

14. Cum prīmum[3] Caesar in castra Labiēnī pervēnit, bellum parāre coepērunt. 15. Cum prīmum nūntius pervēnit, lēgātus castra mōvit nē quid calamitātis acciperet. 16. Cum prīmum dē colloquiō Ariovistī certior factus erō, partem exercitūs meī praemittam quae agrōs eius occupet.

[1] *abessent.* [2] *portīs apprōpinquārunt.* [3] *Simul ac, Ubi prīmum.*

Lesson XXV

139. 1. Cum Caesar in Ītaliam proficīscī cōgerētur, verēbātur nē ā prīncipibus Gallōrum initium novī bellī prius fieret quam rūrsus ad exercitum pervenīre posset. 2. Cum omnia audīsset, statim revertī cōnstituit; nūntiōs etiam ad Labiēnum praemīsit quī eī praeciperent ut operam daret nē obsidēs āmitteret. 3. Interim Labiēnus, cum cīvitātī Haeduōrum persuāsisset ut in officiō permanēret,[1] exspectāvit dum Caesar revertit.[2] 4. Cum mare prīmum vīdī, id trānsīre volēbam. 5. Accidit ut exercitus Rōmānus in Galliam illō ipsō tempore venīret ubi Helvētiī domō exīre parābant. 6. Memoriā hominum nōn accidit ut Haeduī exercituī Rōmānō frūmentum nōn darent cum imperātor postulāverit. 7. Ubi mē apud sē in castrīs vīdit, statim mihi dīxit: "Cūr hūc vēnistī?" 8. Cum exercitus Rōmānus ad Rhēnum pervēnisset, mīlitēs in Germāniam trānsīre verēbantur; tantae enim Germānī corporum magnitūdinis erant ut nostrī maximō timōre eōs vītārent.

---

9. Vix montēs trānsierat, cum nūntiī, quōs ad eum reperiendum Labiēnus mīserat, cōnsecūtī sunt. 10. Verēbātur nē hostēs ex īnsidiīs agmen suum aggrederentur; nam ex quō tempore nūntiī ad sē pervēnerant, nē ūnum quidem Gallum vīderat. 11. Haec est proelī cōnsuētūdō omnium Galliae nātiōnum. Ubi hostēs īnsidiīs ipsōrum appropinquārunt, statim equitātum ēmittunt quī ōrdinēs perturbent. 12. Ex quō tempore tē vīdī, multa facta sunt. 13. Cum Caesar contrā nātiōnem Gallicam castra habuit, ā sociīs postulat ut sibi cōpiam frūmentī dent.[3] 14. Ex quō tempore Caesar exercituī praefuit in Galliā, nūllus impetus in sociōs populī Rōmānī factus est. 15. Vix exercitus flūmen trānsierat, cum hostēs impetum in eōs ācriter faciunt.

16. Cum Caesar mē vīdit, rogat ut ad sē ego in castra veniam; sed vereor nē mē obsidem retineat.

[1] *permanērent*, if 'state' be considered identical with 'citizens.'
[2] If the expectancy is to be emphasized, use *reverterētur*.
[3] *faciant*.

Lesson XXVI

143. 1. Cum vāllum et fossam secundum flūmen perdūcās, hostēs trānsīre nōn poterunt. 2. Caesar Labiēnum equitātuī praefēcit quod numquam in ūllō cāsū sibi dēfuerat. 3. Vīrēs mīlitibus deërant quod ā prīmā lūce ūsque ad sōlis occāsum ācriter pugnāverant. 4. Helvētiī novīs rēbus studēbant quod ā fīnitimīs premerentur. 5. Mīlitēs grātiās imperātōrī ēgērunt quod sē in castrīs illum diem permanēre passus esset. 6. Eā dē causā hostēs fūgisse videntur, quod verēbantur nē impetus in mūnītiōnēs suās nocte fieret nēve īpsī eās tenēre nōn possent. 7. Ab auxiliīs dēfectiō orta est quod aliam in prōvinciam dēdūcerentur. 8. Exercitus quōminus longius prōgrederētur recūsāvit, quod rēs frūmentāria dēfuisset. 9. Omnibus ex hīs regiōnibus Belgārum rēgnum longē fortissimum est, propterea quod longissimē ā prōvinciā abest. 10. Equitātus magnam calamitātem accēpit propterea quod proelī studiō in fīnitimam silvam longius prōgressus erat. 11. Tū mihi hanc magnam iniūriam fēcistī quī mihi persuāserīs ut dē imperiō huius regiōnis contendam.

---

12. Cum tibi ipsī maximam fidem habeam, postulō ut equitēs sōlōs ad colloquium addūcas, propterea quod ego certē peditibus Rōmānīs nōn cōnfīdō, neque aliā ratiōne veniam. 13. Etsī[1] Gallī vī cōgī nōn poterant ē prōvinciā dēcēdere, tamen eīs ad extrēmum persuāsum est ut obsidēs

Rōmānīs darent, nē dēficerent. 14. Quamvīs obsidēs tibi, Dīviciāce, dīmittam, vereor nē tuī dēficiant. 15. Quamvīs iter bene explōrātum sit, tamen explōrātōrēs praemittō, nē hostēs in nōs ex īnsidiīs impetum faciant. 16. Tametsī ego hominem Caesarī similem[2] numquam invēnī, nōn cōnfīdunt eī multī Rōmānī.

[1] *Gallīs, quī vī cōgī nōn possent ē prōvinciā dēcēdere, persuāsum,* etc.
[2] *parem.*

Lesson XXVII

150. 1. Oppidō expugnātō multīsque hostibus interfectīs, reliquīs imperāvit ut domum statim iter facerent nēve umquam in prōvinciam redīrent. 2. Duce multīsque aliīs āmissīs, pulsī ac victī Gallī fūgērunt. 3. Tribus diēbus ā castrīs mūnītīs, nūllō impediente aut iter morante, ad montēs pervēnit. 4. Lēgātīs ad sē convocātīs imperātor Rōmānus ita dīxit. 5. Castrīs ad flūmen positīs, mūnītiōnēs prius perficere cōnātus est quam sē explōrātōrēs hostium invenīrent. 6. Explōrātor in castra illā ipsā nocte, īnsidiīs hostium vītātīs, pervēnit. 7. Parvō tantum praesidiō oppidum dēfendente, cōpiae hostium id expugnāre nōn poterant. 8. Dumnorīgem captum certē interficiet. 9. Īisdem ex montibus silvīsque imperātor quīdam, Pompēiō et Crassō cōnsulibus, magnā impedīmentōrum parte āmissā fūgerat. 10. Exercitus Rōmānus Caesare duce magnās rēs in Galliā gessit. 11. Dumnorīge hoste Rōmānōrum, Caesar equitibus Haeduīs, quibus ille praeërat, magnam fidem habēre nōn poterat. 12. Magnīs calamitātibus bellō acceptīs, hostēs ad Caesarem lēgātōs pācem petītum mīsērunt. 13. Tam fortiter mīlitēs sē et imperātōrem suum dēfendērunt, ut hostēs, castrīs Caesaris āeriter oppugnātīs, nihil effēcerint. 14. Trēs diēs mīlitēs per silvās, sēsē tōtum per hoc tempus contrā impetūs barbarōrum dēfendentēs,

pedem retulērunt. 15. Maximō hostium oppidō captō, minimam praedam invēnit, quod Gallī aedificia incenderant. 16. Omnibus obsidibus acceptīs, Caesar in fīnēs Rēmōrum profectus est.

Lesson XXVIII

154. 1. Tandem multīs vulneribus et datīs et acceptīs, hostēs sē in fugam dedērunt, neque prius cōnstitērunt quam flūmen trānsiērunt. 2. Clāmōre procul sublātō, hostēs in aciem nostram impetum ācriter fēcērunt; sed tandem pulsī ac perturbātī, multīs ex eōrum numerō graviter vulnerātīs, fūgērunt. 3. Tēlīs in nostrōs prōgredientēs coniectīs, Gallī ōrdinēs perturbāvērunt, praesertim cum loca superiōra tenērent. 4. Caesar cōpiās hostium fugientēs multa mīlia passuum subsecūtus, sub sōlis occāsum in castra rediit. 5. Itaque cum ducibus auxiliōrum collocūtus, duābus cum cohortibus profectus collem ascendit. 6. Posteā mille Gallōs in silvā circumventōs interfēcit. 7. Quod parvum praesidium oppidum dēfendit, id, negōtiō magnō cum studiō susceptō, hostēs mūnītiōnēs expugnāre prohibēbit. 8. Hostibus in īnsidiīs cōnspectīs, exercitum Genavam aliō itinere longiōre dēdūxit. 9. Gallōs in silvā cōnspectōs statim aggressus est. 10. Labiēnus, magnō exercitū ā Caesare acceptō, per montēs celeriter iter fēcit ad Vesontiōnem oppugnandum.[1] 11. Haeduī, fīnitimōrum vōcibus permōtī,[2] Rōmānīs frūmentum dare verēbantur, nē sē omnēs Gallī aggrederentur. 12. Caesar, paucōs diēs propter vulnera mīlitum morātus, omnibus cōpiīs hostēs cēdentēs cōnsecūtus est.[3] 13. Cum Caesaris victōriam Labiēnō nūntiāsset atque eum cohortātus esset nē verērētur nē Gallī, frūmentīs sociōrum ēreptīs,[4] commeātū sēsē interclūdere possent, nūntius Genavam statim revertit. 14. Magnō itinere cōnfectō atque castrīs hostium expugnātīs, Caesaris exercitus,

magnum spatium cōnsecūtus, multitūdinem eōrum interfēcit. 15. Gallī, mercātōrum vōcibus[5] adductī ut bellum Rōmānīs īnferrent nēve[6] in officiō permanērent, magnā exercitūs parte āmissā victī sunt. 16. Caesar, dē Gallōrum dēfectiōne certior factus, Ocelō profectus est et exercitum magnīs itineribus in Rēmōs dēdūxit.

[1] *ut Vesontiōnem oppugnāret.* [2] *commōtī.*
[3] *cōnsequēbātur* would give the idea of starting in pursuit.
[4] *captīs.* [5] *sermōne.*
[6] *neque* is also found in this use.

Lesson XXIX

160. 1. Sī mīlitēs ā dextrō cornū cōnsistunt, bene est. 2. Eōdem modō sinistrum aciēī cornū īnstrūxit; nisi enim equitātus ab utrōque cornū collocātus est, nihil praesidī lateribus tōtīus exercitūs est. 3. Sī quid cōnsilī imperātor dē itinere cēperit, prīmā lūce cum tōtō agmine proficīscēmur. 4. Pōns nisi ad fīnēs Helvētiōrum pertinēret, flūmen sine nāvibus trānsīre nōn possēmus. 5. Maiōre sī aciēs nostra spatiō ā montibus īnstrūcta esset, multō hostēs minōrem fidem locō superiōrī habuissent. 6. Sēquanōrum nisi fortūna gravior quam reliquōrum esset, hūc dē eā questum apud Caesarem nōn vēnissent. 7. Sī hostēs parvum spatium morentur dum Caesar revertātur, facile eōs vincāmus; sīn autem nōs nunc aggrediantur, maximō in perīculō sīmus. 8. Sī quamlibet tū fortūnam, sīve secundam sīve adversam, perferre potes, vir fortis es. 9. Sī ad mē videndum crās ventūrus es, tē exspectāns domī manēbō. 10. Nisi aliter ac vīdī tē gerēs, tē dīmittere cōgar. 11. Sī satis tēlōrum habēs,[1] ad mē pauca mitte. 12. Summum nisi statim montem occupābis, cēdere[2] cōgēris. 13. Sī aciēs ad rīpam flūminis pertinēbit, flūmen ipsum tē illō ab cornū

dēfendet. 14. Sī opus mūnītiōnum prius cōnfēceris quam hostēs impetum in tē faciant, diū sustinēre poteris; nam satis commeātūs ad exercitum[3] tibi est. 15. Proelium cum hostibus nōn committam nisi imperātor crās pervēnerit. 16. Sī cēdere nōn vīs, pugnā; sī enim mēcum pugnābis, tē superāre poterō.[4]

[1] *Sī . . . tibi est.*
[2] *pedem referre.*
[3] *exercituī* or *in ūsum exercitūs.*
[4] *possum.*

Lesson XXX

165. 1. Mīlitēsne dextrō ā cornū cōnsistunt? Sīn minus,[1] duās cohortēs auxiliō eīs mittam. 2. Multīs dē causīs in fīnibus Rēmōrum morārī coāctus sum. Aliter abhinc decem diēs hūc pervēnissem. 3. Ad arma convocātī, quam celerrimē poterimus ad sīgna mīlitāria conveniēmus. 4. Mēne ut vidēret nūntius vēnit? Sīn minus, cum eō nōn colloquar. 5. Sī castra nōn bene mūnīvistī, hostēs certē ea expugnābunt. 6. Hominēs quiētem labōrum petere, nisi cūstōdibus dispositīs, numquam patior.[2] 7. Sī Ariovistus Caesarem vīcisset, Germānī in urbe Rōmā ipsā plūrimum hodiē possent. 8. Nisi iam ā Labiēnō pulsī, Helvētiī hunc ad ipsum collem celeriter pervenient ut nostram ūnam legiōnem aggrediantur procul ā reliquīs collocātam. 9. Hostēs, dē Caesaris discessū certiōrēs factī, ad hīberna eius oppugnanda contendent. 10. Caesar ad[3] Vesontiōnem omnibus cum cōpiīs prōgressus, eō tribus diēbus pervēnit. Aliter, hostēs frūmentum omne ibi collēctum cēpissent. 11. Statim nisi Caesar dē Gallōrum discessū certior factus erit, eōs cōnsequī nōn poterit. 12. Sīgna semper fortiter īnfertis, velut sī hostēs numerō anteēdātis. 13. Operam dēdērunt ut opus perficerent, velut sī Caesar ipse eīs illō diē praefuisset. 14. Ariovistum ācriter aggrediar, nōn aliter ac sī

Germānī nōn fortiōrēs quam Gallī sint. 15. Lēgātum cum hostibus, nisi dē locō superiōre, proelium committere vetueram. 16. Nisi Gallīs victīs, imperātor domum Rōmam numquam redībit.

[1] *Aliter.*

[2] An *ut* clause could here be used depending on *patior*, which when negatived admits either construction. [3] 'to' here = 'toward.'

Lesson XXXI

170. 1. Ad castra aditum equitātuī hostium relinquere tē nōn oportuit. 2. Fortem tē appellāre numquam dēbēs, neque rēbus bellō gestīs glōriārī. 3. Fossa prō vāllō castrōrum tibi semper perdūcenda est, quamquam castra in silvā posita sunt, ubi multae sunt arborēs quibus exercitus, quī castra oppugnat, eam fossam compleat. 4. Nōn sōlum castra tibi hodiē sunt oppugnanda, sed etiam posteā ad eōs prīncipēs contendendum quī procul in montēs prōfūgērunt. 5. Exercitus ē castrīs multīs cum iūmentīs atque impedīmentīs ēgressūrus est. 6. Cōpiam frūmentī exercituī meō statim prōvīsūrus sum, nē profectiōnem eius contrā Germānōs morer. 7. Iūre bellī imperium hārum prōvinciārum ego occupātūrus sum. 8. Causa profectiōnis fuit quod ipse in eās regiōnēs, equitibus omnibus celeriter praemissīs, iter factūrus erat. 9. Nē ūnum quidem gladium hostibus relictūrus sum quō contendant. 10. In Galliam sī est contendendum, trīduum ad parandum mihi dā. 11. Eundum sī mihi est, nōn sōlum cum cōpiā frūmentī, sed etiam cum iūmentīs itūrus sum.

---

12. Vāllō tantum nōlī castra mūnīre, nē quem aditum hostēs reperiant. 13. Tē ōrō nē longius prōgrediāris, nē impedīmenta āmittantur. 14. Plūs nōlī postulāre quam

dēbēs: tum nōn vereor nē nōn impetrēs.[1] 15. Dum omnia sociōrum frūmenta cōnsūmantur[2] morārī nōn dēbēs: statim hostēs venientēs aggredere. 16. Nōlīte nōs hīc mediīs in hostibus sōlōs relinquere cōnārī, permānsūrī enim nōn sumus; secūtūrī autem vōs sumus.

[1] Or revise the whole expression thus: *Plūs sī nōn postulās quam dēbēs, nōn vereor nē nōn impetrēs.*

[2] Or, if conceived as a fact, *cōnsūmpta sunt.*

Lesson XXXII

175. 1. Quid tibi ā mē hodiē opus est? Tuīs dē cōnsiliīs statim mē certiōrem fierī necesse est.[1] 2. Et mīlitibus et tēlīs ad oppugnātiōnem nōbīs statim opus est. 3. Licetne nōbīs castra hodiē movēre atque ad Ōcelum proficīscī? 4. Vērō; herī proficīscī licuit,[2] sī parātī fuissētis.[3] 5. Sī explōrātōrēs praemīsissēs ac summum montem occupāvissēs, hostēs facile superāre potuistī. 6. Summō ā colle mare vidēre certē poteris. 7. Dēditiōne amīcōrum permōtī, necesse erat trāns flūmen pedem referre, nē ipsī quoque nōbīs resistere nōn possent. 8. Hunc pontem magnum tribus diēbus facere potuerant, quō ipsīs ad cōpiārum salūtem opus erat. 9. Quod quantumque opus est tibi capere licet. 10. Amīcum tuum hīc vidēre potuistī, sī hūc abhinc duās hōrās pervēnissēs. 11. Virtūtem ubi opus fuit[4] praestāre posse tū vidēris. 12. Factō, nōn cōnsultō, exercituī tuō opus est. 13. Rōmām sī crās īre tibi liceat, quid ibi faciās? 14. Mātūrātō sī opus est, litterās per quendam ex hīs nūntiīs ad eum mittere tibi licet. 15. Cōpiās dispōnere ut placēbit tibi licet; operam autem dā ut eās ex ūsū reī pūblicae collocēs.

---

16. Proficīscere autem cum prīmum poteris atque ad Rhēnī rīpam prōgredere: castrīs etiam ibi idōneō locō

positīs, trēs diēs morāre: inde prīmā lūce cotīdiē profectus, mīlia passuum vīgintī ex quō locō priōre diē cōnstitistī prōgredere.

[1] *oportet.* [2] *licuisset.*
[3] This form should be used, since *parātī* is regarded as an adjective. [4] See **136**.

Lesson XXXIII

180. 1. Haec est Gallōrum ratiō proelī eadem quae Belgārum: eōdem cōnsistunt locō dum hostēs prōgrediantur; deinde sē ēiciunt atque in eōs impetum faciunt quam ācerrimē possunt. 2. Hīc locus proeliō tam aliēnus est quam quemcumque locum vīdī. 3. Vir tālis imperātor noster est quālēs imperātōrēs esse dēbent omnēs. 4. Quantō ācrius hostēs nōs aggressī erant, tantō fortius nostrī resistēbant, dum ad extrēmum ōrdinibus perturbātīs eōs reppulērunt. 5. Quam parvam manum praemīserat, ea, quantum ierant cōpiae hostium prōgressa, castra inde posuit. 6. Quamdiū ab hostibus pugnābātur, tamdiū nostrīs nūlla labōris quiēs erat. 7. Quantō gravius id ferēbat quod hostēs faciēbant, tantō minus eōs prohibēre poterat. 8. Quotiēns[1] aliqua cohors impetum fēcerat, totiēns pugnāns pedem referre cōgēbātur. 9. In hostēs quam ācerrimē poterō[2] impetum facere mihi in animō est. 10. In animō Rōmānīs erat per fīnēs Cimbrōrum iter facere, tantum eīs iniūriae facientibus quantum eī ipsī prōvinciae fēcerant. 11. Quamdiū Caesar apud exercitum permanet, tamdiū nūllum exercitus timōrem habet. 12. Tanta calamitās hostibus accidit, quantā ex calamitāte multīs mēnsibus sē recipere nōn possint.[3] 13. Hī sunt iīdem carrī quibus in priōre itinere ūsī sumus, quod in Helvētiōs fēcimus; quō saepius eōs refēceritis, eō minus eīs ūsūrī estis. 14. Quō magis mihi grātiās ēgeris

prō eō quod fēcī, eō minus vōbīs iterum [4] factūrus sum. 15. Tē moneō ut iter faciās quam celerrimē poteris,[5] quō enim celerius ībis, eō magis mihi placēbit. 16. Vel eōdem itinere quō ante, vel breviōre aliquō ī.[6]

[1] *Cum.* [2] *possim.* [3] *ut ex eā multīs*, etc.
[4] *rūrsus.* [5] *possīs.* [6] *prōgredere.*

Lesson XXXIV

185. 1. Necessāriās Caesar rēs imperāverat, sed mīlitibus facultās nūlla erat administrandī. 2. Nūlla potestās in mūrō cōnsistendī mīlitibus erat, tēlōrum enim hostēs multitūdinem coniciēbant.[1] 3. Aggerem hostēs fēcerant ut sē ab impetū nostrōrum dēfenderent.[2] 4. Locō nātūrā ad aciem īnstruendam idōneō tandem cōnstitērunt ac fortiter quamdiū poterant restitērunt. 5. Tēlīs ferendīs [3] ad quamcumque aciēī partem iussī erant et vulnerātīs ē proeliō ēdūcendīs pugnandī speciem praestitērunt. 6. Turrim ad mūrum prōmovendō effēcērunt ut oppidum celerius omnium opīniōne caperēmus.[4] 7. Ad tē rēs gestās nostrās dētulimus ut nōs cum istīs cēterīs auxiliīs cōnferāmus [5] quae nihil aliud nisi speciem pugnandī faciunt. 8. Studēmus sociōs pugnandō antecēdere. 9. Mīlitēs in mūnītiōnibus faciendīs occupātī erant cum hostēs eōs ācriter aggressī sunt. 10. Aciē prō eōrum castrīs cotīdiē īnstrūctā, pugnandī potestātem faciēbat. 11. Haec omnia ad animōs faciendōs ferōs pertinent. 12. Iūmenta bene alendō [6] efficere potes ut summī labōris sint. 13. Ad castra pōnenda maximē aliēnus [7] locus est, nam in extrēmā palūde est, quae rēs nōbīs facultātem nōn facit reī frūmentāriae obtinendae hīs ex regiōnibus quae post castra [8] nostra sunt. 14. Ē mūnītiōnibus hostēs nōs expellere cōnātī sunt arborēs colligendō [9] quibus fossam complērent et tēla in mūrum coniciendō.[9]

15. Locum idōneum ad castra pōnenda reperiendō,[10] explōrātōrēs efficient ut quiētem tōtīus noctis obtineāmus, id quod maximē nōbīs opus est. 16. Tōtum diem et maximam partem noctis iter faciendō, hominēs graviter cōnfectī erant;[11] quod tamen magnum iter magistrātūs coēgit oppidum nōbīs statim dēdere.[12]

[1] The words 'over it' need not be rendered, being sufficiently indicated by the context.

[2] Or . . . *suī dēfendendī causā, nostrī enim impetūs in eōs faciēbant* (*factūrī erant*). Some such paraphrase is desirable if a gerund construction is to be used. To write *suī ab impetū . . . dēfendendī causā* would be syntactically correct, but not in good style since it contains an adverbial modifier: see **86**, I. Apply the same test in sentence 7. [3] *portandīs.*

[4] *cēperimus* or *capere possēmus.* The first clause may also be written *Turrī . . . prōmōtō.*

[5] See note 2. [6] *Iūmentīs bene alendīs* or even *alitīs*, etc.

[7] *inīquus.*

[8] The words 'behind us' clearly refer to their position as an army, which of course would be in the 'camp' alluded to.

[9] *arboribus colligendīs . . . tēlīs . . . coniciendīs*, or *arboribus collectīs . . . tēlīs . . . coniectīs.* [10] *Locō . . . repertō.*

[11] Not a pluperfect tense; the perfect participle is here used as a simple adjective.

[12] *quod tamen iter effēcit, ut magistrātūs . . . dēderent.*

Lesson XXXV

193. 1. Invītus haec tibi dīxī; cōgit[1] autem rēs mē omnia ostendere. 2. Laetus tē videō. Saepe tibi ad mē adeundum est. 3. Germānōs Rhēnum trānsīre et in prōvinciam venīre facile est. 4. Gallōs in ūnum locum inter sē cōnsulendī causā convenīre Italiae perīculōsum erat. 5. Haec omnia cōnficere perfacile[2] factū est; crēdent

enim hominēs nōbīs, cum omnēs quod volunt libenter crēdant. 6. Numquam invītus id quod volō crēdō. 7. Pontem in Rhēnō facere difficillimum factū est propter lātitūdinem, celeritātem, altitūdinemque flūminis. 8. Cōnsilia eōrum quī novīs rēbus studēbant impediēbat quod Labiēnus, cum prīmum dē bellō novō certior factus est, maximō labōre per montēs cōpiās redūxerat quās Caesar in prōvinciam domum dūcendās ipsī dederat. 9. Optimum iam factū est quam paucissimīs āmissīs nōs[3] recipere. 10. Mē invītō lēgātus proelium commīsit, quā dē causā victōria hostium tantō difficilior lātū[4] est. 11. Exercitū collēctō, hostēs subitō contrā Caesarem castra habēbant,[5] atque proeliō commissō Ōcelum in itinere populantēs sē recipiēbant.[5] 12. Caesar suōs vel contrā ācerrimōs hostium impetūs montem tenēre iussit. 13. Mīlitēs proeliō commissō sē recipere iussī sunt, ut hostēs in īnsidiās dēdūcerent. 14. Altissimum montem tam celeriter ascendere ibique hostēs mūnītōs aggredī summī labōris est. 15. Equitum quōs praemīsimus est hostēs prohibēre[6] nōs prius aggredī quam parātī sīmus. 16. Hominem quae omnia vult crēdere perīculōsius est quam quod saepe fierī dēbeat;[7] *or, more simply,* nēmō quae omnia vult saepe crēdere dēbet, perīculōsius enim est.

[1] *cōgunt*, for *rēs* may be plural. [2] *facillimum.*

[3] Obviously the person or persons involved in this sentence must be determined by the student, as there is no context by which to fix their identity.

[4] For the supine phrase *difficilior lātū* it would be possible to write *gravior* alone.

[5] The historical infinitive would be appropriate here; if you employ it, write *proelium committere* instead of *atque . . . commissō*, as well as *habēre* and *recipere.*

[6] *prohibēre nē* (or *quōminus*) *nōs prius aggrediantur*, etc.

[7] *quam quod saepe faciendum sit* or *quam . . . facere ille dēbeat.*

Lesson XXXVI

200. 1. Explōrātor nōbīs dīxit sē scīre fore ut Germānī ā Belgīs auxiliō arcesserentur. 2. Spērō vōs cōpiās dīmissūrōs atque domum reditūrōs [1] prius quam ego vōs aggredī coāctus sim. 3. Rēmī pollicitī sunt sē explōrātōrēs quī captī essent ē manibus hostium ēreptūrōs. 4. A vōbīs iūs iūrandum postulō vōs neque mihi neque populō Rōmānō bellum umquam illātūrōs.[2] 5. Polliceor atque iūre iūrandō cōnfīrmō nōs ducem statim dēlēctūrōs quī vōs hīs ē silvīs in prōvinciam redūcat. 6. Cōnsidius eī ostendit fore ut ipse [3] viam ad montem quem procul vix vidērent reperīre numquam posset. 7. Intellegō vos omnēs sentīre optimum factū esse illum in locum hodiē vōs recipere unde herī profectī sītis. 8. Animadvertī nihil eārum rērum quās cēterī facerent vōs ipsōs facere. 9. Explōrātōrēs nūntiābant hostēs in magnō flūmine quod ā castrīs nostrīs nōn amplius mīlibus passuum duōbus aberat pontem facere, ut [4] cōpiās suās trādūcerent atque mūnītiōnēs nostrās expugnārent. 10. Quaerendō cōgnōscō Germānōs in castrīs prō captīvīs [5] lēgātōs retinuisse quōs ad eōs dē pāce mīserīmus, atque dē eīs gravissimum supplicium sūmpsisse. 11. Num putās nostrōs in hībernīs ab inopiā frūmentī labōrāre? Dīligenter dē eīs quaesīvī, atque ex eō quod audīvī eōs satis frūmentī in hiemem habēre exīstimō. 12. Barbarum [6] Ariovistum esse sciēbam; numquam autem eum tam barbarum esse exīstimābam ut obsidēs sibi ā gentibus Gallicīs datōs interficeret. 13. Exīstimō hīs ex rēbus fore ut Caesar equitēs praemittat quī agrōs Germānōrum vāstent atque poenās dē ipsīs sūmant prō eīs impetibus quōs in sē ipsum fēcerint. 14. Audiō tē Rōmam erās itūrum, ubi quattuordecim diēs permansūrus sīs. 15. Quae mihi dīxerīs [7] omnia vēra esse sciō; [8] sed nē ita quidem mihi est persuāsum ut domō exeam. 16. Dīc

mihi tē amīcum tuum mē esse scīre. Minimē vērō; id autem tibi dīcam, nē iūs iūrandum quidem efficere posse ut ego tibi crēdam.

[1] Remember that *esse* is omitted from compound infinitives more often than it is expressed. This may also be written *vōs, cōpiīs dīmissīs, domum*, etc.

[2] It is not necessary to express 'again,' though *in reliquum tempus* or *in futūrum* could have been used.

[3] This means that C. himself cannot find the way; if you wish to indicate that it refers to the person to whom C. is speaking, use *is*.

[4] Used in preference to the relative here for two reasons: the distance of *pontem* from the purpose clause, and the fact that there are two purpose clauses for one of which a relative construction would be impossible.

[5] *captīvōs* without a preposition, or *captīvōrum nōmine*.

[6] *Ferum*. [7] *dīxistī*. [8] *intellegō*.

Lesson XXXVII

206. 1. Quid querāris nōn intellegō. 2. Quid tibi ut faciās praecipiam, ostendam. 3. In castrīs mūniendīs trēs iam hōrās occupātus sum, neque vidēre possum quid cōnfēcerim.[1] 4. Ē Caesare quaesīvit partemne mitteret an omnēs auxiliō castrīs īrent. 5. Ante noctem vērō certior fīam quid cōpiās nostrās morētur. 6. Quandō sociōs certiōrēs factūrus es quid prōvinciae eōrum imperātūrus sīs? 7. Summā dīligentiā cōnābor sī hostēs rē frūmentāriā interclūdere possim. 8. Quaesīvit num omnēs ipsīus, ēruptiōne factā, quae ēruptiō summae difficultātis[2] fuerat, in castra incolumēs rediissent. 9. Cōnāminī sī hāc nocte castra hostium capere[3] possītis. 10. Nōlī quicquam ā mē quaerere; ego enim quae scīre velīs[4] omnia dīcam. 11. Cōnāre sī comperīre possīs utrum Gallī nōs erās aggressūrī sint an morātūrī dum reliquae cōpiae pervēnerint.

12. Ex eō quaesīvī quid factūrus sit, sed nihil dīcere vult. 13. Comperī, sī potes, quid cōnsilī sit hostium. 14. Cōnstituere nōn possum quid optimum factū sit, utrum in castrīs permaneam [5] ibique impetum eōrum sustineam [5] an exeam [5] ad proelium committendum. 15. Difficile dēcrētū [6] est quid sit faciendum. 16. Dīc mihi, sī placet, quid cōnsilī tuī sit; ego enim dubitō quid faciam, utrum proelium committam [7] an pedem referam.

[1] Or rearrange thus: *Quamquam . . . occupātus sum, quid cōnfēcerim vidēre nōn possum.*

[2] The word 'task' is really not needed; to express it use *opus* or *negōtium* in apposition with *ēruptiō*.

[3] *expugnāre.* [4] *vīs.*

[5] These constitute real alternative questions in apposition to the question *quid . . . sit.* The infinitive might have been used in apposition with *quid* as the subject of *sit*, with which the neuter adjective *optimum* is in predicate agreement; thus, *castrīsne mē continēre ibique . . . sustinēre, an ad pugnam exīre.*

[6] *cōnstitūtū;* written thus to illustrate the supine usage. The infinitive is equally correct and more common.

[7] See note 5.

Lesson XXXVIII

210. 1. Iam tibi dīxī, nisi dē itinere Gallōrum certior factus essem, futūrum fuisse ut magna pars exercitūs interficerētur. 2. Dīxit, sī ducem dēfectiōnis cēpisset, fore ut interficerētur. 3. Crēdere ego nōn possum sī quae rēs hīc gererentur [1] intellēxissēs, tē mihi auxiliō ventūrum fuisse. 4. Sī ā mē auxilium accipiās,[2] tē in reliquum tempus Rōmānīs amīcum futūrum esse dīcis. 5. Eīs imperāvit [3] sī pugnāre vellent, cōpiās posterō diē īnstruerent. 6. Imperātor lēgātīs imperāvit [3] nē castrīs appropinquārent sī pācem exspectārent. 7. Caesar, sī tū sibi hostis essēs, sē scīre negāvit. 8. Haeduīs Caesar, sī frūmentum, quod pollicitī essent, iam dedissent,

sē ab eīs quicquam amplius postulatūrum negāvit. 9. Mihi dīxit sī ipse Dumnorīgem in perpetuā servitūte dētinuisset, haec nōn futūra fuisse. 10. Quae omnia dīxit, ea fuērunt;[4] sī tū praeēssēs, bene esse. 11. Eīs nūntiā mē dīcere, sī quid velint, erās revertantur. 12. Iūre iūrandō eīs cōnfīrmāvit, sī omnēs ipsīus ex itinere incolumēs revertissent, sē eīs labōrum quiētem in reliquam partem aestātis esse datūrum. 13. Pollicētur sē fortissimum quemque centuriōnem legiōnī annīs duōbus[5] praefectūrum, sī Ariovistum in castrīs repertum cēperint. 14. Labiēnō dīxit nisi Ariovistum illō tempore Ōcelī esse comperisset quaeque ibi faceret ille, sē eum praemissūrum fuisse oppidī expugnandī causā. 15. Sī operam datis ut mē dē hostium cōpiīs certiōrem faciātis, nihil dīcam;[6] vōbīs autem ostendere volō, sī nunc cīvitātī dēsītis,[7] vōs omnēs in perpetuam servitūtem mē coniectūrum esse. 16. Respondit sē minimē scīre quid Caesar esset factūrus, sī in castra rediisset eōsque etiam tum ibi repperisset.

[1] 'the situation here' = 'what things were going on here.'
[2] Or *accēperis*, according to the point of view.
[3] Here 'told' involves giving an order, not giving information.
[4] *Dīxit tantum, sī tū*, etc., or *Hoc tantum dīxit, sī*, etc.
[5] *biennīō.* [6] *nihil habeō quod dīcam.* [7] *dēfuerītis.*

Lesson XXXIX

215. 1. Quī cīvitātī necessāriō tempore dēsit,[1] istum interficī oportet. 2. Ego sōlus[2] hīc sum quī barbarōs agrōs meōs vāstāre prohibuerim. 3. Omnēs quī arma ferre possent[3] in castra Gallōrum statim convēnērunt. 4. "Quis est vir[4] quī mihi bellum intulerit?" rogāvit in conciliō Gallōrum Caesar; neque quisquam erat quī ad haec respondēret.[5] 5. Magnam inūriam facis quī mē rē frūmentāriā

interclūdere cōnēris. 6. Tū ipse, quem legiōnī praefēcerim, hostēs tē castrīs interclūdere passus es, neque dīligentiam quidem ūllam in proeliō parandō praestitistī. 7. Istī ego certē cōnfīdere nōn possum quī tēla sua hostibus trādiderit. 8. Duae aciēs nōn iam longius inter sē aberant quam quō mīles tēlum iacere posset. 9. Quis Rōmā ad Galliam proficīscitur, quī per montēs magnō cum perīculō nōn eat? 10. Nūlla est in Galliā nātiō quam magis ego ipse verear. 11. Eum vīdī barbarum sōlum cui persuādērī nōn possit ut captīvum interficiat. 12. Nūllus erat mīles alius quī dubitāret quīn imperātor manūs hostium vincere posset. 13. Accidit ut Gallus quīdam adsit quī iter cōgnōverit. 14. Ubi est mīles quī oppidum expugnāre nōlit quod suō ab imperātōre oppugnārī coeptum est? [6] 15. Sunt quī verērī videantur nē ego meīs cum legiōnibus, bellō cōnfectō, domum redīre nōlim. 16. Quīdam mīlitēs sunt quī semper cōnentur sī tēla vītāre possint neene.

[1] *dēfuerit.*

[2] Thus, to illustrate the relative syntax; more briefly and in better style, *Ego sōlus hīc . . . prohibuī.*

[3] *poterant* is perfectly possible here; what would be the difference in meaning?

[4] *Quis est quī*, etc.; or, without a relative, *Quisnam mihi bellum intulit?*

[5] This indicates that there was no one to reply, either because unable or unwilling to risk replying: if the mere fact is implied, write *neque quisquam ad haec respondit.*

[6] *coeptum sit.*

Lesson XL

218. 1. Quaerat aliquis quā rē Caesar in itinere nōn magis contenderit. 2. Nē quis querātur quod mēcum equitātum nōn dūxerim. 3. In castra omnēs cēdāmus, magnam enim

calamitātem hodiē accēpimus. 4. Quid dīceret? Caesar enim, cum ad eum subitō vēnisset, ex eō quaesīvit quam ob rem aciēs nōndum īnstrūcta esset, id quod vērō duābus ante hōrīs fierī oportuit.[1] 5. Mēcum venīte, hominēs! Statim hostēs aggrediāmur. 6. Sit Ariovistus ferus fortisque. Cūr tamen eum vereāmur? 7. Utinam Caesar nē vulnerātus esset; aliter enim hostēs omnī celeritāte cōnsecūtī essēmus. 8. Nox celeriter veniat! Tōtum enim iam diem pugnāmus, ac dēfessī[2] sumus. 9. Nē hostēs in castra prius impetum faciant quam vāllum perfectum sit. 10. "Nōlī aggredī," dīxerit aliquis. Cūr tandem ego nōn aggrediar, praesertim cum hostēs iam exanimātī atque nostrī sint pugnandī cupidissimī? 11. Quō Labiēnum mittam? Cōnsistat ille in dextrō cornū. 12. Nē oppidum prius dēdātur quam mīles quisque praesidī interfectus sit. 13. Moriāmur, neque umquam nōs dēdāmus. 14. "Quid dē captīvō faciam?" ā mē quaeris. Interficiātur.[3] 15. Impetum in castra hostium ācriter prius faciāmus quam prīma lūx vēnerit. 16. "Caesarem in castra adeāmus," dīcat aliquis. "Minimē! Nē adeāmus!" inquam. Nē eum posthāc videam, quamvīs annīs priōribus fuerit amīcus meus.

[1] *oportuisset*, if taken as a part of the quotation.

[2] *cōnfectī*, *exanimātī*.

[3] Thus, if it is a question of penalty; if, however, it is a question of neglecting a sick or wounded man, write *Moriātur*.

PART II

Exercise 1

Caesar cum in Galliam pervēnisset, omnēs Helvētiōs ē fīnibus suīs exīre parāre statim audīvit, propterea quod fīnēs angustiōrēs arbitrārentur, cum [1] altissimīs undique montibus continērentur. Paucīs ante annīs Orgetorīx quīdam eīs persuāserat ut imperiō tōtīus Galliae potīrī cōnārentur. Nōn autem est dubium quīn ipse sē potentiōrem facere cōnātus sit, ita ut Helvētiī, cōnsiliīs eius cōgnitīs, eum in iūdicium vocāverint. Itaque ille, cum causam dīcere nōllet, omnibus clientibus ad iūdicium coāctīs, sē ita ēripuit. Brevī post tempore mortuus est.

[1] Or *quī*.

Exercise 2

Exīre tamen Helvētiī parābant. Proximīs autem cīvitātibus persuādēre cōnābantur ut sēsē per fīnēs ipsōrum īre paterentur, nam, propter altissimōs montēs et angustiās, fīnitimī eōs prohibēre facile poterant. Itaque Caesar, Prōvinciae veritus sī Helvētiī propiōrēs cōnsēdissent, legiōnēs ad eōs prohibendōs coēgit.[1] Rīpā etiam ūnā Rhodanī aliquantum spatium ā Genavā mūnītā, eōs flūmen trānsīre prohibuit. Illī autem secundum Rhodanum, agrōs Haeduōrum et Allobrogum vāstantēs, quī sociī Rōmānōrum erant, iter faciēbant, atque Ararim trānsībant cum Caesar, eōs cōnsecūtus, ūnam partem, quae nondum flūmen trānsierat, vīcit. Secūtus deinde reliquōs Helvētiōs, cum ūnam negōtī cōnficiendī occāsiōnem per timōrem Cōnsidī āmīsisset, ad extrēmum superāvit atque eōs in fīnēs ipsōrum [2] redīre coēgit.

[1] *convocāvit.*

[2] *suōs*, or *suōs ipsōrum*.

Exercise 3

Bellō Helvētiōrum[1] vix cōnfectō, rēs quāsdam audīvit quae ipsum commōvērunt, amīcus enim Dīviciācus Haeduus questum[2] ad eum vēnit Ariovistum rēgem Germānōrum Rhēnum trānsīsse atque terram Galliae vāstāre; illum quoque, maximā parte agrōrum Sēquanōrum occupātā, eōs ipsōs maximā crūdēlitāte afficere. Sēquanōs, quōrum multī aderant, hortātus est ut sibi iniūriās Ariovistī dīcerent, sed ita erant perterritī ut nē ūnum quīdem verbum dīcere audērent. Germānōs quidem Rhēnum, quandōcumque voluissent, trānsīre, magnō perīculō Galliae esse intellegēbat, quod nātiō Germānōrum et magna et barbara esset, quī sī Galliam incolere cōnsuēssent per omnem terram vagārentur.[3] Itaque lēgātōs ad Ariovistum mīsit quī ab eō postulārent ut locum dīceret quō colloquendī causā convenīrent. Ariovistus autem sē cum eō collocūtūrum esse negāvit.

[1] *Helvēticō.*

[2] *queror* may take after it either an accusative and infinitive or a *quod* clause in the subjunctive; thus, *quod Ariovistus rēx . . . trānsīsset . . . vāstāret*, etc.

[3] Subjunctive because part of the *quod* clause; if regarded as depending on *intellegēbat*, an infinitive form is of course necessary. Instead of *quī sī*, etc., then write *atque sī . . . fore ut vagārentur.*

Exercise 4

Iterum lēgātōs Caesar ad Ariovistum mīsit quī eī dīcerent, cum ille sēcum collocūtūrum esse negāsset, sē haec ab illō postulāre cōgī: ut sociīs Rōmānōrum obsidēs redderet[1] quōs tenēret, neque amplius Germānōs in Galliam dūceret.[1] Ad haec Ariovistus ita respondit: "Tū,[2] quem ad modum vīs, victīs imperās; idem faciam[3] ego.[2] Mē, cum volēs, aggredere; tum intellegēs quid mīlitēs meī in bellō possint."

Deinde Caesar, hōc respōnsō audītō, bellum Ariovistō prius inferre cōnstituit quam maiōrēs Germānōrum cōpiae Rhēnum trānsīre atque sē cum eō coniungere possent. Mīlitēs Caesaris multa dē Germānīs ex Gallīs quaerēbant, quī semper respondērunt eōs hominēs esse et ingentēs et incrēdibilī in bellō virtūte. Maximē haec mīlitēs perterrēbant, ut multī ā Caesare peterent ut Rōmam redīre sibi licēret. Quibus dīcēbat Caesar redīrent sī vellent, sēque sōlā cum decimā legiōne Germānōs aggressūrum. "Huic enim legiōnī," inquit, "maximam fidem habeō."

[1] The order of these purpose clauses is reversed in order to secure an affirmative purpose preceding the negative. The sentence could, however, be written thus: *nē quōs Germānōs amplius in Galliam dūceret atque ut sociīs*, etc.

[2] The position of these pronouns secures emphasis and contrast.

[3] Or *factūrus sum*.

Exercise 5

Virtūs inde rediit animōsque eōrum occupāvit.[1] Prīmum mīlitēs decimae legiōnis, cum eī grātiās ēgissent quod dē sē ipsīs tam bene locūtus esset, sē esse parātōs cōnfīrmāvērunt etiam Rhēnum cum eō trānsīre, sī ita vellet, atque cum quantōvīs Germānōrum numerō contendere. Deinde reliquae quoque legiōnēs id ēgērunt, ut Caesarī dē virtūte suā satisfacerent. Quōrum ōrātiōne audītā, Caesar sē rūrsus eōs in grātiam receptūrum pollicitus est. Deinde magnīs itineribus ad Germānōs contendit; nam dīcēbat sē intellegere velle utrum timor an officium apud eōs plūs valēret. Iam ad Ariovistum accēdēbant, quī lēgātiōnem mīsit quae Caesarī dīceret[2] sē dē summīs rēbus cum eō colloquī velle. Caesar cum quibusdam ex mīlitibus decimae legiōnis, quōs equīs equitātūs Gallicī imposuerat, ad colloquium prōcessit, Gallīs enim magnam fidem nōn habēbat. Initiō colloquī

Ariovistus ē Caesare quaesīvit quid negōtī eī omnīnō in Galliā esset: brevī autem tempore equitēs Ariovistī mīlitēs Caesaris aggressī sunt, sed eōs perterrēre nōn poterant. Suum ad exercitum Caesar sē recēpit priusquam interficerētur quisquam ac proelium parāvit.[3] Paucīs autem post diēbus Ariovistus iterum colloquium postulāvit. Quod Caesar sē factūrum negāvit, sed ad eum duōs lēgātōs mīsit quī cum eō agerent. Quōs comprehēnsōs Ariovistus retinuit.

[1] Or *Virtūs inde cōnfīrmāta animōs eōrum occupāvit.*

[2] Or let the construction represent the implied idea, since *lēgātiō* involves *lēgātī: quī . . . dīcerent.*

[3] This may also be written: *Caesar, cum sē . . . recēpisset, priusquam interficerētur quisquam, proelium parāvit.*

Exercise 6

Ariovistus sē castrīs mūnītīs continuit neque proeliō contendere voluit, cum Caesar, cōpiīs cotīdiē prōdūctīs, eī potestātem pugnandī faceret. Caesar, cum quōsdam perfugās cēpisset, ex iīs quaerēbat quam ob rem Ariovistus pugnāre nōllet. Quī respondērunt nūllam eī spem victōriae esse sī ante novam lūnam proeliō contendisset. Caesar deinde aciē īnstrūctā castra Ariovistī oppugnāvit. Ariovistus cum ita proeliō contendere coāctus esset, diū et ācriter ad sōlis occāsum pugnātum est. Germānī victī, multīs interfectīs, trāns Rhēnum in dēnsās silvās fūgērunt. Ita vērō perterritī fuērunt ut fugere nōn dēsisterent priusquam ā locō proelī ad rīpam Rhēnī, circiter quīnque mīlia passuum, pervēnērunt. Quod per tōtum spatium equitēs Caesaris secūtī magnum numerum eōrum fugientium interfēcērunt. Quā in fugā Caesar duōs lēgātōs suōs invēnit quōs Ariovistus comprehenderat. Quō proeliō factō Caesar duo gravissima bella ūnā aestāte cōnfēcerat. Itaque legiōnibus in hīberna dēductīs, ipse in Prōvinciam rediit.

Exercise 7

Dum exercitus Rōmānus in hībernīs est, crēbrī rūmōrēs ad Caesarem afferuntur omnēs Belgās contrā Rōmānōs coniūrāre, nē Caesar, reliquā omnī Galliā victā, bellum sibi inferret. Dē eā rē quoque certior factus est, quae cīvitātēs arma captūrae essent et quid in bellō possent. Itaque ad eōs sibi contendendum cōnstituit. Haeduīs sociīs suīs, quod cum omnibus ūnō tempore bellum gerere nōlēbat, persuāsit ut in fīnēs cuiusdam ex gentibus Belgārum cōpiās dūcerent et agrōs vāstārent, ut illa gēns ipsōs aggrederētur nēve cum reliquīs Belgīs contrā exercitum Rōmānōrum sē coniungere posset. Caesar intereā ad quōsdam ex Belgīs, quī oppidum Rēmōrum, ipsīus sociōrum, cui Iccius praeērat, oppugnābant, iter fēcit, quod oppidum ad bellum gerendum magnō ūsuī sibi erat, cum in eō commeātūs omnis generis essent. Hostibus victīs pulsīsque ab oppidō, in Nerviōs contendit, quī, fortissimī Belgārum et maximē ferī, etiam reliquōs Gallōs accusābant quod sē Caesarī dēdidissent et negābant sē umquam ūllās pācis condiciōnēs acceptūrōs.

Exercise 8

Nerviī aliīs nātiōnibus persuāserant ut sēcum coniūrarent, atque tōtus eōrum exercitus trāns parvum quoddam flūmen cōnstiterat ibique Caesaris adventum exspectābat. Spērāverant quidem fore ut eius cōpiās impedīmentīs omnibus impedītās aggredī possent, sed, priusquam ad eōs accēderet, cum sex legiōnēs prō impedīmentīs īnstrūxisset, post ea praesidiō impedīmentīs et novissimō agminī duās novās legiōnēs collocāvit. Nerviī prīmō in equitēs nostrōs impetum tam ācriter fēcērunt ut eōs perturbārent. Quibus temporibus imperātōrī omnia celeriter agenda sunt: aciēs contrā hostēs īnstruenda; prōvidendum autem nē impetus

ab apertō latere fierī possit. Mīlitēs quoque multa sibi[1] facere posse dēbent[2] ut, etiam sī imperātor ipse aliquō tempore necessāriō nōn adsit, intellegant quid optimum factū sit. Variā fortūnā pugnābātur, cum legiōnēs aliae aliā in parte hostibus resisterent quō modō sine imperātōre optimē possent.[3] Ab aliā ad aliam legiōnem Caesar contendit ut eās hortārētur ut cōnsisterent et fortiter pugnārent. Ad extrēmum decima legiō, duce Labiēnō, cum hostium castrīs potīta esset atque cōpiās sibi oppositās superāsset, auxiliō cēterīs legiōnibus vēnit atque hostēs, multīs interfectīs, in fugam dedit.

[1] *prō sē* is also a possibility. [2] *oportet.* [3] *poterant.*

Exercise 9

Deinde Caesar ad Aduatucōs contendit, quī omnibus cōpiīs auxiliō Nerviīs veniēbant. Quī cum dē cō proeliō certiōrēs factī essent, in oppidum ēgregiē mūnītum et manū et nātūrā locī, cum in summō colle positum esset, sē recēpērunt. Nostrī exercitūs adventū hostēs, multīs ex oppidō excursiōnibus[1] factīs, nōs impetibus improvīsīs dēpellere cōnābantur. Caesar autem, tormentīs prōmōtīs, turrēs et aggerem exstruere coepit, quibus oppidum oppugnāret. Quae cum exstruī vidērent[2] nōbīs vōce conclāmābant: "Ab tantō spatiō cūr istam rem exstruitis? Quōrumnam manibus eam ad mūrum prōmovēre cōnfīditis? Maior est ista, vōs minōrēs." Prōmovērī autem cum facile turrim nostram vidērent,[2] perterritī, iterum conclāmāvērunt, sē scīre nōs auxiliō deōrum bellum gerere; statim sēsē dēditūrōs armaque dēpositūrōs. Sed cum illā ipsā nocte ēruptiōnem ex oppidō facere cōnātī essent, multōs Caesar interfēcit reliquōsque in servitūtem dedit. Deinde cum multās cīvitātēs maritimās in populī Rōmānī potestātem redēgisset, exercitū in hiberna dēductō, ad Ītaliam

profectus est, cum iam pācātam Galliam esse exīstimāret. Quae cum Rōmae litterīs Caesaris nūntiāta essent, supplicātiōnem quīndecim diērum senātus dēcrēvit, quī honor[3] ante id tempus contigerat nūllī.

[1] *ēruptiōnibus.* [2] *vīdissent.* [3] *id quod ante,* etc.

Exercise 10

Nātiōnēs illae quae ā fīnibus Allobrogum ad summās Alpēs pertinent itinere per Alpēs mercātōribus interdīxerant nisi sibi magnam pecūniam dedissent; quae autem itinera Caesar patēre volēbat. Itaque Galbam in illās nātiōnēs mīsit, quī itinera obsidiōne līberāret ibique cum legiōne hiemāret sī opus esse exīstimāret. Illīs complūribus proeliīs superātīs multīsque oppidīs captīs Galba in vīcō Octōdūrō hiemāre cōnstituit. Rem frūmentāriam in oppidum cōnferendam cūrāre coepit. Gallī, montibus quī oppidō impendēbant subitō occupātīs, cōpiās Galbae ācriter aggressī sunt, quās dēspiciēbant quod ita paucae essent. Nē vulnerātīs quidem Rōmānī suī reficiendī facultātem dare poterant, cum hostēs dēfessī ē proeliō exīrent et alīī integrīs vīribus succēderent. Sēnsit ad extrēmum Galba ūnam spem salūtis esse sī[1] ēruptiōne factā Gallōs dē improvīsō aggrederentur.[2] Itaque mīlitibus nē paulisper pugnārent imperāvit atque, cum sē refēcissent, sīgnō datō ērumperent barbarōsque summā virtūte aggrederentur. Quae iussī sunt, ea omnia faciunt, atque, ēruptiōne omnibus portīs ācriter factā, magnam partem hostium interfēcērunt et reliquōs reppulērunt ita perterritōs ut nē in superiōribus quidem locīs cōnsistere audērent.

[1] *ut.*

[2] If *sī* is retained, *aggressus esset* may be used; not, however, with *ut.*

Exercise 11

Initā hieme Caesar, cum iam pācātam Galliam exīstimāret, in Illyricum profectus est, quam regiōnem cōgnōscere volēbat. Crassum cum septimā legiōne mīserat prope ōram maritimam hiemandī causā. Hīs in regiōnibus inopia frūmentī erat. Itaque Crassus quōsdam ex praefectīs in fīnitimās nātiōnēs mīsit quī rem frūmentāriam ad hiemem peterent. Hīs ex praefectīs duōs comprehēnsōs prō captīvīs dētinēbant Venetī, quī ōram maritimam incolēbant multāsque nāvēs habēbant, quārum ūsū omnēs nātiōnēs hārum regiōnum antecēdunt. Item cēterae nātiōnēs, praefectīs quī ad sē vēnerant retentīs, iūs iūrandum inter sē dedērunt sē contrā Rōmānōs coniūnctūrās ut servitūte līberārentur.[1] Haec regiō propter multa flūmina magnam difficultātem peditibus praebet, neque ūllās nāvēs habēbant Rōmānī quibus oppida ā marī obsidēre hostēsque fugā prohibēre possent. Oppidīs ā terrā obsessīs Caesar cum maximā parte exercitūs auxiliō Crassō contendit, ā quō litterās accēperat. Ex nātiōnibus iam pācātīs quam plūrimās nāvēs cōgendās cūrāvit. Quae cum convēnissent, magnō proeliō cum nāvibus hostium commissō, paene tōtam eōrum classem cēpit. Ipsīus enim nāvēs celerius movērī poterant quam nāvēs hostium graviōrēs, ut singulās eās aggredī et capere posset. Quō proeliō factō, bellum tōtīus ōrae maritimae cōnfectum est. Hostēs enim nāvibus āmissīs neque quō sē reciperent habēbant neque quō modō fugerent.

[1] Thrown into a passive purpose construction to avoid the unpleasant repetition of *sē*.

Exercise 12

Quae dum omnia apud Venetōs geruntur, Caesar Sabīnum cum parte exercitūs in Venellōs mīsit, quī eōs in officiō

continēret et Viridovīcem, quī eīs praeēsset,[1] dēficere prohibēret. Viridovīx autem, cum exercitum ex fīnitimīs nātiōnibus iam coēgisset, quī multitūdine etiam malōrum auctus erat, quī ex urbibus in silvās fūgerant ut poenās lēgum vītārent, contrā Sabīnum ā mīlibus passuum minus duōbus castra habuit. Exercitū ad castra Rōmānōrum cotīdiē prōductō, Sabīnum ēvocābat ē mūnītiōnibus exīret proeliumque committeret. Sed, Caesare absente, Sabīnus proelium sibi nisi rēbus opportūnissimīs committendum nōn exīstimāvit. Itaque sē castrīs continuit dum hostēs illum sēsē timēre exīstimārent. Quendam etiam Gallum cui maximam fidem habēbat praemīsit quī, cum ad hostēs trānsīsset, dīceret sē ē castrīs Rōmānōrum prōfūgisse atque proximā ipsā nocte Sabīnō in animō esse ē castrīs cum omnibus cōpiīs ēgredī et ad Caesarem contendere propterea quod in castrīs nihil frūmentī habēret. Conclāmāvērunt hostēs sē castra, quae in summō colle posita erant,[2] expugnāre statim oportēre. Itaque cum maximā celeritāte adversō colle ad portās ipsās castrōrum, magnā spē quoque eōrum potiendōrum, concurrissent, eō exanimātī pervēnērunt. Sabīnus, cum hostes[3] nōn iam procul vīdisset,[4] in eōs impetum subitō fēcit. Illī nē cōnātī quidem sunt cōnsistere, sed perturbātī fūgērunt. Quōs mīlitēs nostrī equitēsque cōnsecūtī, multōs interfēcērunt, paucīs relictīs quī incolumēs in silvās pervēnērunt.

[1] *praeërat;* the subjunctive use above is due to attraction.

[2] Indicative, as expressing a geographical fact not included in the quotation.

[3] The noun is used to avoid the succession of pronouns.

[4] *Quōs cum nōn . . . vīdisset Sabīnus,* etc.

Exercise 13

Eōdem ferē tempore Crassus, quī in Aquītāniam modo pervēnerat, proeliō Sōtiātum equestrī paene īnsidiīs captus est. Quōrum cum equitēs pedem retulissent et nostrī īnstārent, subitō peditēs eōrum nostrōs aggressī sunt. Diū et ācriter pugnābātur,[1] sed ad extrēmum nostrī eōs reppulērunt. Deinde Crassus ūnum ex oppidīs eōrum magnīs complūrēs diēs obsessum expugnāvit. Nocte autem prīnceps hostium magnō cum numerō clientium, quibus maximē cōnfīdēbat, perfugere cōnābātur. Illī cum eō semper erant illīsque partem bonōrum suōrum dedit eā tantum condīciōne, ut, sī quid sibi accidisset, ipsī item morerentur.[2] Ille autem, fugā clāmōre cōgnitā, ūnā cum manū in oppidum rēiectus est. Cum illīs aliae quoque nātiōnēs inde sē coniūnxērunt atque lēgātī etiam in Hispāniam missī sunt quī auxilia et ducēs peterent quī modum pugnandī nostrum intellegerent atque eō ūtī possent. Quī cum vēnissent, bellum longē aliā ratiōne ac cēterī barbarī gerere coepērunt. Superiōra enim loca occupāvērunt;[3] castra mūniērunt;[3] nostrōs rē frūmentāriā interclūdere cōnātī sunt;[3] cōpiās suās proeliō retinuērunt.[3] Crassus, cum omnī ratiōne efficere cōnātus esset ut proeliō contenderent, castra mūnīta eōrum ad extrēmum oppugnāre coāctus est. Quae expugnāvit, equitibus missīs quī impetum facerent ubi nōn satis dēfēnsa essent. Maxima inde pars Aquītāniae sēsē Crassō dēdidit obsidēsque mīsit. Itinere nōn multōrum diērum ad Morinōs factō, Caesar omnēs lēgātōs cōpiās in hīberna dūcere iussit.

[1] *Cum diū . . . pugnārētur, tamen nostrī*, etc. [2] *sē interficerent.*

[3] The imperfect could be used here to express the habitual custom of the campaign, and for it could be used the historical infinitive. Some of these clauses could stand in the ablative absolute: *Superiōribus locīs occupātīs castrīsque mūnītīs nostrōs . . . sunt et*, etc.

Exercise 14

Eā ipsā hieme quaedam nātiōnēs Germānae, multōs annōs ā Suēbīs vexātae, quī omnium Germānōrum fortissimī erant, Rhēnum trānsiērunt. Quae ubi ad Rhēnum prīmum pervēnērunt et ā Menapiīs, quī haec loca incolēbant, trānsīre prohibitī sunt, nocte paulum spatium in silvās sē recēpērunt. Menapiī cum eōs iam domum rediisse exīstimārent, cūstōdēs dēdūxērunt. Germānī, cum subitō revertissent, Menapiōs, quōrum nāvibus ad Rhēnum trānseundum ūsī sunt, superāvērunt. Itaque Caesar ad exercitum contendit et in Germānōs iter facere coepit; ā quibus, cum iam nōn procul abesset, ad eum vēnērunt lēgātī, quī ita dīxērunt: "Sī grātiam[1] nostram vīs, multa tibi facere possumus. Dā nōbīs agrōs in Galliā, vel eōs quōs occupāvimus retinēre patere. Potentiōrēs Suēbī sōlī nōbīs sunt, neque ūlla nātiō est reliqua quam superāre nōn possīmus." Ad haec Caesar respondit: "Nūlla mihi vōbīscum amīcitia esse potest,[2] sī in Galliā permanēbitis.[2] Trāns Rhēnum redīte, et in agrīs Ubiōrum cōnsīdite. Hoc ego vōbīs ab Ubiīs impetrābō." Deinde ā Caesare petiērunt nē longius prōgrederētur priusquam ea quae dīxisset ad suōs renūntiāssent et ad eum revertissent. Caesar, nihil pollicitus, ad eōs contendēbat.

[1] *voluntātem.* [2] *poterit . . . permānseritis.*

Exercise 15

Deinde equitātum Rōmānōrum, quem Caesar praemīserat, aggressī sunt. Etiam tum nihil aliud hī faciēbant nisi sē dēfendēbant, ut eīs ā Caesare praeceptum erat. Posterō diē maiōrēs Germānōrum in castra vēnērunt, quī dīcerent sē suōs retinēre nōn potuisse quīn proeliō contenderent. Quōs cum Caesar in castrīs dētinuisset, exercitum Germānōrum

aggressus multīs interfectīs pepulit. Caesar cum iam vidēret Germānōs facilius adducī ut Rhēnum trānsīrent, eōs docēre volēbat exercitum populī Rōmānī Rhēnum trānsīre et posse et audēre; volēbat etiam efficere ut sibi ipsīs agrīsque suīs ipsōrum timērent. Quō melius etiam populī Rōmānī potestātem eīs ostenderet, pontem sibi in Rhēnō faciendum cōnstituit, quae rēs neque umquam anteā vīsa erat neque audīta. Ponte paucīs diēbus cōnfectō, ita exercitum trādūxit. Magnō ad utramque partem pontis praesidiō relictō, ad potentissimās Germānōrum nātiōnēs contendit. Hae in silvās dēnsissimās celeriter sē recēpērunt, quō eōs sequī Caesar nōlēbat, nē sē absente impetus in pontis praesidium fieret. Praetereā omnia, quōrum causā vēnerat, perfēcerat, quod Germānī ipsō veniente prōfūgerant. Itaque in Galliam rediit pontemque rescindī iussit, nē eō Germānī ūterentur.

Exercise 16

Īnsula magna in Ōceanō nōn procul ā Galliā posita est, quam mercātōrēs Britanniam appellāvērunt, neque quisquam praeter mercātōrēs eō umquam ībat neque hī ipsī ūllam īnsulae partem cōgnōvērunt praeter eās regiōnēs et nātiōnēs quae proximae marī sunt. Hanc vērō īnsulam Caesar adīre vehementer [1] volēbat et quae genera hominum eam incolerent vidēre et quae esset terrae portuumque nātūra cōgnōscere. Priusquam autem perīculum faceret, Volusēnum cum nāvī longā mīsit quī omnia cōgnōsceret quae posset.[2] Intereā cōpiās in loca opportūna Galliae disposuit, nē Gallī sē absente dēficerent. Morinī, quae sōla nātiō etiam tum in armīs erat, iam sē dēdidērunt obsidēsque ad eum mīsērunt. Caesar, cum omnibus nāvibus ad Britanniam profectus, cum īnsulae appropinquāret, omnēs hostium cōpiās īnstrūctās vīdit ut sē ex nāvibus ēgredī prohibērent. Cum

nāvēs propius accessissent, barbarī etiam in mare prōcurrērunt et tēla in nostrōs ēgredientēs coniēcērunt. Magnae difficultātis rēs erat, mīlitēs enim in altā aquā pugnāre coāctī sunt[3] ubi vix īnsistere[4] poterant. Ad extrēmum hostibus dēpulsīs ad terram pervēnērunt. Deinde castra posuērunt, longius enim hostēs sequī nōn poterant propterea quod nāvēs quae equitātum ferēbant tempestāte rēiectae erant. Lēgātī tamen ā Britannīs pācem petītum vēnērunt. Sed illā ipsā nocte magnā multae nāvēs tempestāte frāctae sunt, ut posterō iam diē Britannī dē dēfectiōne cōgitāre coepissent. Frāctīs autem nāvibus ad cēterās reficiendās Caesar ūsus est atque, Britannīs prō castrīs ipsīus victīs, quō ad ipsum aggrediendum vēnerant, in Galliam revertit.

[1] *maximē.*

[2] *quī quaecumque posset cōgnōsceret,* or *ad omnia quae posset cōgnōscenda.* [3] *mīlitibus . . . pugnandum erat.* [4] *stāre.*

Exercise 17

Initā proximā aestāte Caesar, complūribus gentibus victīs quae dēfēcerant et regnō Trēverōrum prīncipī illī, ex duōbus, attribūtō quem meritum esse exīstimāvit, nāvibus in portum idōneum coāctīs, ad Britanniam iterum proficīscī parābat. Eō ipsō tempore Dumnorīx, amīcī Dīviciācī frāter, quī novīs rēbus semper studēbat, ā Caesare petiit ut sibi in Galliā permanēre licēret ut quī mare timēret.[1] Caesar, quod hostem post sē relinquere nōlēbat, negāvit. Dumnorīx inde quōsdam Gallōrum prīncipēs hortātus est ut in Galliā cum cōpiīs suīs remanērent, cum Caesar eōs certē interfectūrus esset sī extrā Galliam quōlibet in locō in manūs ipsīus vēnissent. Dīxit praetereā sē et līberum semper fuisse et līberum permānsūrum esse. Multīs cum eā ōrātiōne[2] persuāsisset, cum eīs discessit. Itaque Caesar, cum profectiōnem dis-

tulisset, equitēs hīs mandātīs mīsit ut eum redūcerent. Resistentem eum interfēcērunt. Labiēnō in Galliā relictō, Caesar deinde profectus est. Cum ē nāvī nūllō impediente [3] ēgressus esset, castra celeriter posuit. Eā nocte, sīc ut annō superiōre, tempestās magnam iniūriam nāvibus intulit. Magnī cum rēs labōris esset, tamen omnēs nāvēs subductās mūrō circumiectō [4] mūnīvit. Deinde figūram ipsīus īnsulae explōrāvit et mōrēs eōrum quī eam incolēbant. Cōpiīs Britannōrum complūribus proeliīs victīs obsidibusque ab eīs acceptīs, in Galliam revertit.

[1] *quod (cum) mare timēret.*
[2] *tālibus verbīs.*
[3] *prohibente.*
[4] *circumdatō.*

Exercise 18

Caesar cōpiās in hiemem in plūrēs cīvitātēs collocāvit quam cōnsuērat. Eburōnēs, Ambiorīge duce, cum cōnsilium hībernōrum legiōnum singulārum opprimendōrum cēpissent, prīmum ad castra Sabīnī et Cottae pervēnērunt. Castrīs fortiter dēfēnsīs, mīlitēs eōs reppulērunt. Tum nostrīs conclāmāvērunt ut aliquem mitterent quī sēcum colloquerētur. Missī duo igitur sunt. Quibus persuādēre Ambiorīx cōnābātur ut, castrīs cum omnibus impedīmentīs relictīs, ad proxima hīberna alterius cuiusvīs legiōnis iter facerent. Hoc enim optimum esse factū dīxit sēque eīs per fīnēs suōs tūtum iter datūrum; oppugnāvisse enim castra, nōn quō ipse Caesarī inimīcus esset, sed ā suā cīvitāte coāctum. Suōs quidem velle ut fīnēs hībernīs līberārentur. Quae cum imperātōribus renūntiāta essent, alter negāvit sē auctōre hoste castra mūnīta umquam relictūrum, aut ūllam rem aliam factūrum. Alter autem Ambiorīgī magnam fidem habēbat, quā dē causā ea fierī oportēre dīxit quae ille monuisset. Duōbus vērō diēbus [1] ad proxima hīberna sē pervenīre posse priusquam quicquam malī [2] acciperent. Cuius opīniōne

tandem superante, imperātum est ut prīmā lūce ēgrederentur. Cum nōn procul ā castrīs abessent et magnam per silvam iter facerent, subitō hostēs eōs aggressī sunt. Cum diū et ācriter pugnātum esset ac permultī essent interfectī, paucī iter ad castra gladiīs aperuērunt.[3] Aliī ex aciē in silvam concurrērunt, ubi, ab hostibus intercepti, interfectī sunt. Reliquī pugnantēs mortuī sunt. Eā nocte illī quī in castra pervēnerant cum iam nūllam spem salūtis vidērent, sēsē interfēcērunt.

[1] *Bīduō.* [2] *iniūriae.* [3] *patefēcērunt.*

Exercise 19

Hāc victōriā sublātī, Eburōnēs lēgātōs ad multās aliās nātiōnēs Galliae mīsērunt quī eīs ut dēficerent persuādērent. Ipsī ūnā cum Nerviīs ad hīberna Cicerōnis cum omnibus cōpiīs prius contendērunt quam nūntius ūllus dē morte imperātōrum ad eum pervenīret. Quī cum vēnissent, eadem quae Sabīnō et Cottae dīxērunt. Ad haec Cicerō respondit: "Ab hoste condiciōnēs armātō ego certē numquam accipiam. Armīs dēpositīs, lēgātōs ad Caesarem mittite quī eum rogent ea quae velītis." Deinde hostēs castra ācriter oppugnābant. Cicerō et mīlitēs diem noctemque pugnābant. Cicerō ipse omnibus locīs castrōrum, cohortāns suōs et pugnāns, aderat, cum minimē valēret. Quā in oppugnātiōne multa fortissima facta vīsa sunt. Centuriōnēs duo huius legiōnis inter sē dē honōre semper contendēbant. Quōdam vērō diē, cum in mūrō pugnārent, alter alterī clāmāvit: "Age, vērō, virtūtem tuam praebē!" Tum ē portā in hostēs dēnsissimōs sē ēiēcit. Alter auxiliō illī contendit; et ambō, cum complūrēs hostēs interfēcissent, tandem intrā mūnītiōnēs sēsē incolumēs recēpērunt. Multōs quidem Cicerō mīsit quī Caesarem dē oppugnātiōne certiōrem facerent, sed omnēs comprehēnsī in conspectū ipsō nostrōrum interfectī sunt. Ad extrēmum cuidam

Gallō, cui maximam fidem habēbat, persuāsit, ut litterās in tēlum abditās ad Caesarem ferret. Gallus, inter Gallōs nōn recōgnitus, ad Caesarem pervēnit.

Exercise 20

Proxima ad hīberna Caesar mandāta celeriter mīsit, ut lēgātī ad sē quam celerrimē contenderent, et quantō in perīculō Cicerō essent ostendit. Gallum item, dē quō suprā dictum est, ad Cicerōnem remīsit cum litterīs sē ipsum auxiliō eī venīre. Gallus litterās ad tēlum dēligātās trāns[1] mūrum coniēcit. Post trēs tōtōs diēs inventās[2] mīles ad Cicerōnem ferēbat, quī exercituī nūntiāvit: "Caesar litterās nostrās accēpit; venit."[3] Magnō clāmōre, fortius etiam quam anteā pugnāre coepērunt. Gallī deinde obsidiōne relictā ad Caesarem contendērunt, cuius lūcem ignium nocte vidēre iam poterant. Caesar sē castrīs continuit, cum Cicerōnem nōn iam in perīculō esse intellegeret, quā opīniōne timōris effēcit ut hostēs ūsque ad portās ipsās prōgrederentur. Tum, portīs omnibus ēruptiōne factā, eōs in fugam dedit et maximam eōrum partem interfēcit. Cicerōnis cum ad castra pervēnisset, omnēs laudāvit quod castra ēgregiē dēfendissent. Fāma victōriae Caesaris ad Labiēnum incrēdibilī celeritāte per silvās pervēnit aliquā[4] ratiōne sīgnōrum quā barbarī ūtēbantur, ut, cum castra Labiēnī ā Cicerōnis ad mīlia passuum sexāginta abessent, et Caesar ad castra Cicerōnis sub nōnam hōram pervēnisset, Labiēnus dē proeliō ante mediam noctem certior factus sit. Quamquam omnēs Gallī tum domōs rediērunt, tumultum Caesar omnium cīvitātum in proximam aetātem verēbātur.[5]

[1] *in* or *per* also possible. [2] *vīsās.*
[3] *veniet* or *ventūrus est* may be written.
[4] *quādam.* [5] *suspicābātur.*

PART III

COMMENTĀRIĪ DĒ BELLŌ BALKĀNŌ

Exercise 1

Paenīnsula tōta Balkāna, ut appellāta est quae pars Eurōpae ā flūmine Dānuviō initium capit et inter merīdiem et orientem sōlem spectat, sex nātiōnibus, Graecīs, Serbīs, Bulgāriīs, Rūmānīs, Nigromontānīs, Turcīs, distribūta est. Ex hīs Serbī, Bulgāriī, Nigromontānīque genere Sclāvēnicō sunt; Graecī, sociī eōrum, genere longē aliō, tamen cum eīs in commūnī cōnsiliō sēsē contrā Turcōs coniūnxērunt. Vix dīcī potest Graecia quidem paenīnsulae Balkānae pars esse; tamen, propterea quod Graecī sē cum nātiōnibus Balkānīs coniūnxērunt quodque Graecia in eā regiōne posita est quam līnea continet quae ā Pontō ad mare Hadriāticum secundum iugum Balkānum pertinet, eōdem nōmine, quō cēterī, appellārī potest. Initia Graecōrum tam bene cōgnita sunt atque rēs gestae, ut hīs dē rēbus hīc nōn opus sit dīcī.

Exercise 2

Sclāvēnicīs autem dē nātiōnibus, quō genere trēs ex hīs cīvitātibus quae in montibus Balkānīs nunc proeliō contendunt prognātae sunt, aliquantō accūrātius dīcere necesse est. Prīmum Sclāvī domicilium habuisse videntur in regiōnibus[1] Vistulae flūminis et Danastrī, quae ā montibus Carpatibus in septentriōnem et orientem sōlem spectant. Prīmō post Christum saeculō, ut vidētur, prīma dēmigrātiō Sclāvēnica facta est.[2] Gothōrum autem dēmigrātiōnēs illae mōtūsque magnī ita animōs hominum occupābant, ut haec rēs nōn animadverterētur, Sclāvōs quoque paulātim dēmi-

grāre.[3] Gothī inter eōs certē dominābantur et aliquamdiū fīnēs eōsdem occupābant; quae rēs ipsa vidētur Sclāvīs causa fuisse dēmigrandī;[4] Sclāvī enim, bellō cum parēs Germānīs essent, tamen inter sē societāte et foedere coniungī minus poterant atque prō commūnī salūte agere.[5]

[1] *S. antīquitus incoluisse videntur regiōnēs*, etc.

[2] *Prīmō post Christum saeculō magnus Sclāvōrum numerus, ut vidētur, prīmum dēmigrāre coepit.*

[3] *ut Sclāvōs dēmigrāre nēmō animadverteret.*

[4] *causa fuisse quārē dēmigrārent.*

[5] *atque commūnī salūtī prōvidēre.*

Exercise 3

Initō saeculō sextō Sclāvī prīmum litterīs nōminātī sunt; quā rē sīgnificātur eōs illō iam tempore satis lātē vagātōs esse ut ab[1] Imperiō animadverterentur, nam Balkānōs trānsierant atque novō prō terrōre Byzantiō aderant. Septimō vērō saeculō initō Sclāvī tōtam paenīnsulam Balkānam ūnā cum Graeciā pervagātī erant. Religiō vidētur eīs maxima fuisse causa quārē sē dissolverent in eōrum rēgnōrum initia quae hodiē exstant. Antīquitus quidem ferī erant, atque deus maximus[2] erat Tonitrus. Christiānīs autem gentibus quotiēscumque occurrerant, hae eōs ad vērum Deum convertere conābantur. Itaque illī quī in occidentālibus paenīnsulae regiōnibus[3] cōnsēderant ecclēsiae Rōmānae fāvērunt;[4] quī autem in regiōnibus permānserant orientālibus, ecclēsiam Graecam cōnsecūtī sunt.[5] Christiānī longē vērō maxima pars Sclāvōrum prius erant factī quam ā Bulgāriīs victī sunt.

[1] The preposition, as 'the Empire' is really a personification.

[2] *potentissimus.*

[3] *occidentālī paenīnsulae parte.*

[4] *favēbant.*

[5] *cōnsequēbantur.*

Exercise 4

Serbī ē genere Sclāvēnicō maxima gēns ac potentissima erant. Illī initō saeculō sextō ē domiciliō suō septentriōnālī trāns montēs Balkānōs ad lītora Pontī dēscenderant, unde in occidentem sōlem secundum Dānuvium pervagātī erant et in prōvinciīs vāstātīs cōnsēderant quae in paenīnsulā Balkānā erant et inter septentriōnem et occidentem sōlem spectābant. Memoria Serbiae tamquam nātiōnis ā mediō saeculō septimō initium capit.[1] Cōpiīs Serbōrum annō dominī MCCCLXXXIX[2] victīs, Serbiam in prōvinciam Turcī redēgērunt. Brevī autem lībertāte Serbia ūtēbātur ab annō MDCCCIV[3] ūsque ad annum MDCCCXIII,[4] cum iterum ā Turcīs superāta est, sed ad extrēmum annō MDCCCXXX[5] facta est rēgnum nōminis suī atque iūris.

[1] *incipit* (of course without *initium*).
[2] *mīllēsimō trecentēsimō octōgēsimō nōnō.*
[3] *mīllēsimō octingentēsimō quārtō.*
[4] *mīllēsimum octingentēsimum tertium decimum.*
[5] *mīllēsimō octingentēsimō trīcēsimō.*

Exercise 5

Bulgāriī, hominēs ferī Tatare genere prognātī, in rīpīs Poratae flūminis extrēmā parte saeculī septimī prīmum sē ostendēbant. Equitēs erant immānēs barbarīque, quī uxōrēs complūrēs habēbant. Eīs quoque ā prīncipibus nōbilibusque superbē ac crūdēliter imperābātur. Prīmum domicilium eōrum in eā regiōne erat quae inter montēs Urālēs et Volgam flūmen posita est. Annō quidem DCLXXIX,[1] cum Dānuvium flūmen trānsīssent, Sclāvēnicō Moesiae populō dēvictō,[2] ad portās ipsās Constantīnopolis et Thessalonīcae prōgressī sunt. Imperātōrēs illī Rōmānī Eurōpae Orientālis prōvinciam Moesiam eīs cēdere et stīpendium pendere coāctī

sunt. Eōrum autem hostium nōn magnus numerus pervēnerat, ut hīs annīs ducentīs in populum Sclāvēnicum cōnfūsī, linguam eius,[3] cōnsuētūdinēs, īnstitūta cuiusque locī cōnsequerentur, quā dē causā hodiē apud Bulgāriōs nē paululum quidem linguae Tataris est repertum. Christiānī item factī ecclēsiae Graecae fāvērunt.

[1] *sescentēsimō septuāgēsimō nōnō.*

[2] If this Slavonic population be understood to be of various tribes of the same stock, write *Sclāvēnicīs . . . populīs dēvictīs.*

[3] Parallel with note 2, write *populīs Sclāvēnicīs . . . linguās* (admitting the possibility of dialects) *eōrum.*

Exercise 6

Nigromontānī Serbīs prognātī sunt. Omnibus in locīs eius regiōnis montēs altissimī sunt quō aditus difficillimus est, ut populō fortī quam optimae suī dēfendendī facultātēs praebeantur. Prōvinciae ab initiō Rōmānae Illyriae pars fuit Nigromontānia; annō autem CDXCIII[1] ab Ostrogothīs superāta, annīs post quīnquāginta sub imperium Byzantī[2] vēnit.[3] Serbae gentēs quaedam eās regiōnēs circiter medium saeculum septimum occupāvērunt ibique, postquam Serbī proeliō magnō ā Turcīs superātī sunt, quod proelium, Kossovo[4] annō MCCCLXXXIX[5] factum, lībertātem Serbiae quadringentōs per annōs dēlēvit, prīnceps quīdam Serbus, Georgius Balsha nōmine, cum ad montēs effūgisset, nātiōnem illam parvam montānōrum condidit, quōrum vir ūnus quisque mīles est. Semper haec[6] nātiō ex eō tempore in perpetuīs Turcōrum bellīs versātur.

[1] *quadringentēsimō nōnāgēsimō tertiō.* [2] *Byzantīnum.*

[3] *in potestātem Byzantī (Byzantīnam) redācta est.*

[4] *Kossovōne.* [5] *mīllēsimō trecentēsimō octōgēsimō nōnō.*

[6] This avoids writing in the same sentence two relative clauses with different antecedents.

Exercise 7

Bellum vērō Balkānum ex veteribus[1] certāminibus ēvēnit quae Bulgāriīs, Serbīs, Nigromontānīs Graecīsque exsistēbant.[2] Hī omnēs, prō sē quisque, nītēbantur ut imperiō Macedoniae potīrentur, cuius prōvinciae hominēs quattuor ex hīs nātiōnibus compositī[3] sunt. Praetereā nōn sōlum inter sē nōn cōnfīdēbant[4] sed etiam ōderant propter varietātēs religiōnum, quae rēs apud nātiōnēs dūrās parumque hūmānās semper plūrimum potest.[5] Breviter nunc statum hārum cīvitātum Balkānārum coörtō bellō[6] animadvertāmus. Imprīmīs Rūmānia, cui iūstissimē imperātur, quae etiam exercitum magnum et bene exercitātum possidet,[7] quemvīs bellī exitum efficere potest atque bonum sibi petere utrīvīs partī favendō parāta est.[8] Bulgāria autem suō nōmine Rūmāniam ōdit, quod bellō illō cōnfectō quod Russiae cum Turciā fuerat,[9] Russia agrum quendam Rūmāniae attribuisset, quī ab ōstiō Dānuviī flūminis ad merīdiem pertinet, et nātūrā regiōnis Bulgāriae esse dēbet. Rūmānia sī ūnā cum Turcīs Bulgāriae bellum intulisset, haec cīvitās summō in perīculō fuisset, quod hostem et ā fronte et ā tergō habuisset. Rūmānia autem, cum (sē) bellō abstinēret, tamen exercitum parātum tenēbat, quā rē victōribus indicāret[10] sē in rēbus bellō cōnfectō cōnstituendīs sibi esse prōvisūram.[11]

[1] *veterrimīs.* [2] *erant.* [3] *permixtī.*

[4] Or the one word *diffīdēbant.*

[5] . . . *ōderant, propterea quod religiōne inter sē differēbant, id quod nātiōnēs . . . semper perturbat.* [6] *initiō bellī.*

[7] *habet.* For the relative *quae*, introducing this clause as the subject of *possidet*, we may substitute *atque*, the nominative subject being readily inferred from the preceding *cui.*

[8] *ac quō maiōra sibi comparet bona, utrīvīs partī favēre parāta est.*

[9] *quod inter Russiam Turciamque dēcertātum erat.*

[10] *sīgnificāret;* or *quā rē sīgnificārī volēbat.* [11] *prōspectūram.*

Exercise 8

Serbia autem, quae citrā Bulgāriam propius occidentem sōlem posita est, perīculōsissimō in locō omnium cīvitātum Balkānārum, obvia enim Austriae (mare) Aegaeum petentī est, quō Austria ad extrēmum pervenīre cōnstituit.[1] Inter Serbiam et mare hominēs Sclāvēnicī prōvincias Bosniam Herzegovīnamque, quae abhinc paucōs annōs ab Austriā occupātae sunt, incolunt, ita ut Serbia suīs etiam rēbus timeat, cum fīnitimō potentissimō minimam fidem habeat. Īnfrā eās prōvinciās posita est Nigromontānia, rēgnum parvulum montānum, quae, tōta cum et Turciā et Austriā contineātur, pauca tantum mīlia passuum ōrae maritimae habet. Cum igitur hīs in regiōnibus agrī populum diūtius alere[2] nōn possint, Nigromontānia terrā ad agricultūram eget atque portū ubi bona sua vēndat remque frūmentāriam emat. Scodram etiam maximē possidēre vult. Dēnique īnfimā parte paenīnsulae posita est Graecia. Quārum intrā orbem prōvinciārum possessiōnēs sunt Turciae Eurōpaeae, ūnō quidem nōmine Macedonia saepe appellātae, dīvīsae autem in aliquot minōrēs prōvinciās. Inter Serbiam et Nigromontāniam prōvincia alia Turcica, Novī Bazar nōmine, posita est, quae prōvincia in rēbus Balkānīs quaestiō ipsa est.[3] Pertinet enim inter septentriōnem et occidentem sōlem atque ab eō latere Bosniā continētur, ut iter facile Austriae ad Thessalonīcam Aegaeumque (mare) praebeat. Quā dē causā prōvincia illa nātiōnibus Sclāvēnicīs ā Germānicīs perpetuum perīculum est.

[1] *prohibet (dētinet) enim Austriam quōminus ad (mare) Aegaeum perveniat;* or again, *Austriae enim obvia est, quae et Aegaeum (mare) semper petit et eō ad extrēmum pervenīre cōnstituit.*

[2] *sustinēre.*

[3] Or thus: *quā dē prōvinciā in rēbus Balkānīs vērē agitur.*

Exercise 9

Macedonia ā multīs hominum generibus, praesertim ā Graecīs, Bulgāriīs, Serbīs, incolitur. Graeca autem iuventūs, agrīs magnam partem[1] relictīs, in urbēs convēnit, atque agrestēs Bulgāriī, Macedoniam pervagātī, maior pars incolārum factī sunt.[2] Bulgāria Macedoniam petit, quod ab annō DCCCXCIII[3] ūsque ad annum MCCLXXVII[4] ā rēgibus Bulgāriīs Macedonia regerētur et maxima pars eōrum quī hanc prōvinciam incolunt genere Bulgāriō sint. Serbiī quoque Macedoniam petunt, quod Dushānus, rēx ille magnus, quī ab annō MCCCXXXVI[5] ūsque ad annum MCCCLVI[6] rēgnābat, Macedoniam in rēgnō ingentī suō tenēret atque sē Caesarem Macedoniae Rēgemque Magnum Serbōrum, Graecōrum, Bulgāriōrumque appellāret; praetereā quod,[7] quae pars Macedoniae Serbia Veterrima appellātur, ea ab hominibus generis suī ipsōrum incolātur. Graecia quoque Macedoniam petit, quod Alexander ille Magnus et Philippus eam regerent multīs ante saeculīs quam quidquam vel dē Serbiā vel dē Bulgāriā audītum esset; plūrimī autem ex Macedonibus nunc Hellēnēs sunt. Quō ex certāmine gentium armātae latrōnum manūs Graecōrum et Bulgāriōrum plūs vīgintī annōs[8] Macedoniam vexāvērunt, quōrum alterī quōs Bulgāriōs invenīre possent, omnēs Graecōs alterī, interficiēbant. Quōs imperium Turcicum prohibēre nōn cōnābātur, quamdiū enim Christiānī aliī aliōs interficiēbant, tamdiū sēsē contrā Turcōs coniungere nōn poterant. Aliquandō autem Turcī ipsī, cum in hās miserās prōvinciās incursiōnēs fēcissent, Christiānum quemque cuiusvīs generis interficiēbant. Praetereā eīs maiōra stīpendia crūdēliter impōnēbant atque male imperābant, neque postulātīs Potestātum Summārum pārēre volēbant ut melius eīs imperārent.

[1] *magnā ex parte.*

[2] *numerō antecēdunt omnēs quī eōs agrōs incolunt.*
[3] *octingentēsimō nōnāgēsimō tertiō.*
[4] *mīllēsimum ducentēsimum septuāgēsimum septimum.*
[5] *mīllēsimō trecentēsimō trīcēsimō sextō.*
[6] *mīllēsimum trecentēsimum quīnquāgēsimum sextum.*
[7] *quodque*, omitting *praetereā.* [8] *annīs.*

Exercise 10

Potestātēs ipsae Summae, quae eōdem modō inter sē timent neque cōnfīdunt, rēs Balkānās incertiōrēs difficiliōrēsque semper reddidērunt. Sex illae potestātēs summae, quae in Eurōpā exstant, Germānia, Austria, Ītalia, Russia, Francia, Britannia, foedera pācis amīcitiaeque ternae cōnfīrmāvērunt. Quārum partium duārum illa Societātem Triplicem, haec Cōnsēnsiōnem Triplicem sē appellat. Inter sē coniūnxisse affīrmant [1] ad sē dēfendendās pācemque Eurōpae cōnservandam. Altera pars alteram dētinēre cupit quōminus auctōritātem aut ūtilitātem vel ūllā ratiōne vel locō ūllō cōnsequerētur. Quandōcumque igitur Turciam vel coercēre vel monēre voluērunt, vel eam cōgere cīvēs Christiānōs interficere vexāreque dēsistere, numquam pāret ea, cum Potestātēs nihil prōrsus actūrās esse intellegat. Sīc eō tempore, cum bellum coörerētur, Potestātēs neque Sociōs dētinēre poterant quīn bellum indīcerent neque efficere ut Turcia sē melius gereret, nūllum cum commūne cōnsilium agendī cōnsequī [2] possent. Potestātēs enim Summae Cīvitātibus Balkānīs dīcere nōn poterant, "Nōlīte hominēs Christiānōs ad vexātiōnem vītandam imperiumque crūdēle adiuvāre"; neque Turcīs imperāre poterant ut postulāta hostium facerent, ut Macedoniae, Albāniae, Serbiaeque Veterrimae lībertātem darent. Quod vērō inūtile fuisset, quod, imprīmīs,[3] Turcī certē recūsāssent, deinde, Potestātēs

bene intellegēbant,[1] etiam sī Turcia cessisset, fore ut ipsae inter sē numquam cōnsentīrent quem ad modum postulāta persequerentur. Praetereā, Turcī, nātiō cupidissima bellandī, sēsē invictōs futūrōs esse exīstimābant, nec quisquam crēdēbat fore ut cīvitātēs Balkānae, nātiōnēs tumultuōsae, umquam inter sē foedere et amīcitiā coniungerent.

[1] *dīcunt.* [2] *capere.* [3] *primum.* [4] *intellexerunt.*

Exercise 11

Incrēdibilis tum rēs facta est. Inimīcitiīs dēpositīs, cum nōn aliter sē sibi quicquam bonī obtinēre posse intellegerent, pāce item et amīcitiā inter sē subitō cōnfirmātā, bellum contrā commūnem hostem parābant.[1] Turciā vērō bellō Ītalōrum Tripolitānō[2] dēfessā, Socii sē celeriter victūrōs esse[3] atque praedam dīvīsūrōs cōnfīdēbant. Sīc subitō in Eurōpā Magna Potestās nova adest, Cōnfoederātiō Balkāna. Nunc paucīs verbīs ostendam quantae sint cōpiae cuiusque cīvitātis et quid bellō possent. Prō quidem magnitūdine Bulgāria exercitum in Eurōpā optimē armātum atque ad bellum aptissimum habet. Sextus enim quisque homō mīles est, dūrus, labōris patiēns, bene exercitātus; praefectī item fortēs et reī mīlitāris perītissimī sunt. Bellō coörtō exīstimāta est ducenta quīnquāginta mīlia hominum cōnficere posse et quīngenta tormenta comparāre. Serbī, quī multōs iam annōs exercitum suum ad[4] perīculum augēbant quod ab Austriā timēbant, ad ducenta mīlia hominum aestimātī sunt, ex quibus peditēs quam optimī sunt, tormentāriī mediocrēs, equitēs autem nōn multum valent. Graecia item sē ducenta mīlia hominum cōnficere posse cōnfīrmāvit. Exercitus vērō Nigromontānus nātiō ipsa est tōta armāta. Iūstus quidem exercitus nūllus ante hoc bellum ibi fuerat; sed vir quisque semper erat armātus. Saepe etiam rēx eōrum, vir iam senex, ā cīvibus suīs quibus

obviam fīēbat aut in viīs Cettiniēnsibus aut in sēmitīs montānīs postulābat ut arma sibi ostenderent ut ipse vidēret sī bene essent cūrāta.

[1] This verb is very rarely used absolutely, *i.e.* unconnected with an object noun.

[2] Or *quod erat in Tripolī gestum.*

[3] *victōrēs esse futūrōs.* [4] *contrā.*

Exercise 12

Prīnceps bellum indīxit Nigromontānia, timōre adducta, ut vidētur, nē Russia sē bellum gerere prohibēret. Itaque ante diem octāvum Īdūs Octōbrēs [1] Nicolaus Rēx ita in urbe Cettinie prōnūntiāvit: "Spērāverat [2] vērō Nigromontānia fore ut ipsa efficere posset ut Serbī, quī Turciam incolerent, sine sanguine līberārentur; cum autem cōnāta ipsīus omnia [3] male prōfēcerint, nihil reliquum est nisi ut arma prō eīs capiat. Aggreditur igitur Turciam Nigromontānia nōn ex arrogantiā sed eō nōbilī cōnsiliō impulsa ut frātrēs ab interneciōne prohibeat." Intrā septem diēs [4] exercitus Nigromontānus, Rēge ipsō Nicolaō duce, in prōvinciam Turcicam Novī Bazar ingressus erat atque multa loca ēgregiē mūnīta expugnāverat, quam ob rem mīlitēs ā Sclāvīs quī ibi incolēbant līberātōrēs appellātī sunt. Eōdem quoque tempore exercitūs Serbus, Bulgārius, Graecus, prō sē quisque, omnibus rēbus īnstrūctī,[5] ad fīnēs Turciae prōgressī sunt. Senātūs hārum nātiōnum singulārum multam pecūniam ad bellum dēcrēvērunt atque cīvēs ūnā vōce bellum Turcicum, quod ūsque ad mortem esset, dēpopōscērunt. Sociīs postulantibus ut statim in Macedoniā melius imperārētur Turcia respondit cōpiīs ad bellum comparandīs, atque ante diem sextum decimum Kalendās Novembrēs [6] bellum Bulgāriae et Serbiae ipsa indīxit. Vix autem Sociōrum litterae ad Portam dēlātae erant, cum Potestātēs Magnae par-

vās quidem illās cīvitātēs coercēre cōnantur atque Turciae persuādēre: sed sērius id factum est. Turcia etiam prīdiē Īdūs Octōbrēs ad Potestātum postulāta respondit sē numquam esse passūram ut Eurōpa suae ratiōnī Macedoniae administrandae intervenīret.

[1] Or in the usual abbreviated form, *a. d. viii Id. Oct.*

[2] Or, to avoid two *ut* clauses, *Spērāverat sē efficere posse*, etc.

[3] *labōrēs ipsīus omnēs.*

[4] Or ablative of time within which, *Septem diēbus.*

[5] *parātī.* [6] *a. d. xvi Kal. Nov.*

Exercise 13

Diēbus decem postquam bellum indictum erat, et exercitus prīmus [1] Bulgārius urbem Mustapha Pasha expugnāvit, et omnēs cōpiae Sociōrum prōgredī coepērunt. Et Bulgāria et Turcia cōnsilia sua rēsque gestās dīligentissimē cēlāvērunt [2] neque ūllās litterās ab exercitibus dīmittī passae sunt,[2] ita ut cīvitātēs Eurōpaeae omnia dē bellō īgnōrārent. Brevī autem tempore ratiōnēs bellī gerendī, quae ā conciliīs dē rē mīlitārī praeparātae erant in urbibus capitālibus, Sofiā, Albā Graecā Athēnīsque, in bellō ipsō gerendō ostendī coeptae sunt. Tōtīus autem bellī ratiō erat ut Nigromontānia, urbe Scodrā, quae magnō ūsuī ad bellum erat, oppugnātā et captā, Albāniam Septentriōnālem omnī ratiōne sollicitāret ut ā Turciā dēficeret; deinde ut exercitūs Bulgāriī, Rēgē ipsō Ferdinandō duce, ūnā cum Savōviō prō lēgātō, in Thrāciam prōgrederentur; exercitūs item Serbī, Prīncipe Alexandrō imperātōre, in Macedoniam per prōvinciās Kossovō et Monastīr contenderent; cōpiae Graecae, Prīncipe Rēgiō Constantīnō duce, per montēs iter facerent eō cōnsiliō ut, Turcīs ex Ēpīrō expulsīs, Thessalonīcam peterent; dēnique aciēs [3] Bulgāriae, Serbae, Graecaeque ad Constantīnopolim convenīrent. Quae cōnsilia incrēdibilī alacri-

tāte et dīligentiā exsecūtī sunt. Scodra enim, exercitū[4] Nigromontānō statim obsessa, tōta interclūsa est; cumque Turcī ācriter resistentēs maximam partem exercitūs Nigromontānī hanc ad[5] arcem per tōtum bellum occupātam tenērent, mīlitēs Rēgis Nicolaī multa proelia secunda aliīs locīs Novī Bazar fēcērunt.[6]

[1] *prīnceps*, especially if called 'first' because largest and most efficient. [2] Or the imperfect.

[3] Or *agmina*, depending on the point of view.

[4] Or *ab exercitū*, depending on the point of view.

[5] *apud*. [6] *cōpiīs . . . rēs optimē prōcessērunt aliīs*, etc.

Exercise 14

Mustaphā Pashā urbe captā, quae aditum ad Hadriānopolim ā septentriōne praebēbat,[1] prīnceps exercitus Bulgārius, Savōviō duce, Hadriānopolim ipsam, antīquum Thrāciae caput, obsidēbat; exercitus autem secundus, in orientem sōlem circuitū profectus, Kirk Kilisseh occupāvit,[2] quae rēs omne auxilium Turcicum ab oriente prohibuit. Deinde Hadriānopolis, ut bellī cōnsuētudō est, obsidēbātur. Cum iam concilium dē rē mīlitārī Bulgārium cum duōbus aliīs exercitibus in Thrāciam contenderet, itinera Constantīnopolitāna brevī tempore occupāvit. Interim Serbī in fīnēs Turciae prōgredī coeperant. Paucīs diēbus Petrus, Rēx, oppidō Pristīnā captō atque arce Novī Bazar, capite prōvinciae eōdem nōmine appellātae, expugnātā, urbem veterem Uskub, quae magnās facultātēs ad bellum faciendum praebēbat,[3] ācerrimō proeliō factō occupāvit. Graecia item classe missā ad īnsulās Aegaeās oppugnandās, bellum īnferre coeperat. Exercitus autem Graecus, Turcīs ācrī proeliō repulsīs, per quāsdam angustiās montium, Milūnam appellātās, prōgressus est. Post paucīs diēbus urbs magna Elassōna exercitū[4] Rēgis Georgiī capta est. Intereā Bul-

gāriī Hadriānopolim magnā vī oppugnābant, ubi Turcī item obstinātē resistēbant. Ante diem sextum Kalendās Novembrēs cōpiae Bulgāriae oppidum Eskī Baba cēpērunt,[5] id quod effēcit ut Viae Ferreae Orientālī quae Viennam cum Constantīnopolī iungit, praeēsse possent.[6]

[1] *dabat.* [2] *cēpit.* [3] *dabat* or even *habēbat.*
[4] Cf. Ex. 13, note 4. [5] *expugnāvērunt.*
[6] *ut Viā Ferreā Orientālī . . . potīrī possent.*

Exercise 15

Tribus post diēbus, ācerrimō proeliō factō, Turcī ex mūnītiōnibus Lule Burgas expulsī sunt, quī locus magnō ūsuī est ad bellum administrandum.[1] Hīc quīnque diēs ācerrimē pugnābātur, cum cōpiae Bulgāriae contrā magnum exercitum Turcicum īnstrūctae essent, quī exercitus centum trīginta mīlium hominum erat cum trecentīs tormentīs et equitum turmīs sexāginta quīnque. Dextrum cornū Turcōrum, Bulgāriōs cōnfertissimā aciē[2] etiam atque etiam aggressum, male prōfēcit.[3] Hōs omnēs impetūs Bulgāriī incrēdibilī virtūte reppulērunt, armīs ferrō praefīxīs multum ūsī et hīc et tōtum per bellum, quā rē, ratiōnibus scrīptōrum mīlitārium neglēctīs, ostendērunt ferrum frīgidum etiam nunc in proeliīs pugnandīs[4] plūrimum valēre. Tormenta item ā Bulgāriīs optimē atque accūrātissimē administrāta sunt, ita ut, impetibus permultīs factīs hostēs etiam atque etiam, acervīs cadāverum passim relictīs, pedem referre cōgerentur. Tertiō diē proeliī media Bulgāriōrum aciēs, peditibus mūnīta Turcōrum loca ferrō expugnantibus atque tormentāriīs posteā hostēs perterritōs tormentīs vexantibus, īnstitit. Quīntō dēnique diē Bulgāriī ab sinistrō cornū, impetū ultimō factō, Turcōs praecipitēs in fugam dedērunt. Quō in proeliō Turcī quadrāginta mīlia hominum aut interfectōrum aut vulnerātōrum, Bulgāriī quīndecim mīlia āmīsisse

dīcuntur; quōcumque enim modō victōrēs sē in pugnā perīculō obiciunt, numquam tantam calamitātem quantam victī accipiunt.[5] Quō maximō proeliō factō spatium vīgintī quattuor hōrārum sequēbātur cum uterque exercitus magis dēfessus esset quam utī pugnāre posset.

[1] *gerendum.* [2] *longō agmine*, according to the point of view.
[3] *Dextrō cornuī . . . aggressō nihil prōcessit.*
[4] *pugnandīs* may be omitted.
[5] *numquam calamitātem ita accipiunt, ut victī.*

Exercise 16

Inde Bulgāriī prōgrediēbantur, neque Turcīs ūllam quiētis potestātem amplius dabant. Kalendīs Novembribus Dēmoticam cēpērunt; deinde etiam Turcī proeliō trīduī Tchorlū ācerrimē factō repulsī sunt. Quō proeliō cōpiae Nazim Pasha ita frāctae sunt ut tōtus exercitus, superiōribus praefectīs exceptīs, perturbātus fūgisse dīcātur ut Bulgāriōs subsequentēs vītāret. Imperātor Bulgārius, cum per mala itinera[1] cum cōpiīs paene dēfessīs contenderet, iter tamen difficillimum in orientem sōlem faciēbat per paenīnsulam palūstrem cuius in extrēmā parte posita est Constantīnopolis, Turcīs prōfugientibus, ut hostēs mūnītiōnibus inexpugnābilibus[2] Tchataldiēnsibus interclūderet, quae, minus mīlibus passuum vīgintī ā Constantīnopolī, ā Pontō ad Propontidem pertinent. Hae mūnītiōnēs Tchataldiēnsēs, mīrē ad dēfēnsiōnem exstrūctae, arx ferē mūnītissima esse Eurōpae exīstimantur. Ab enim alterō latere Pontus, Propontis ab alterō est; ā fronte dextrā[3] Lacū Derkō, ā sinistrā aestuāriō dēfenduntur; secundum quoque lītus maximīs palūdibus melius etiam prōteguntur. Sīc ea pars paenīnsulae ubi exercitus īre possit,[4] nūllā rē prohibente, sēdecim omnīnō mīlium passuum in lātitūdinem est, atque hoc breve spatium omnibus (in) partibus omnī mūnītiōnum genere, quod scien-

tia rērum mīlitārium invēnit, mūnītum est. Ad extrēmum autem imperātor Turcōrum cōpiās frāctas intrā mūnitiōnēs Tchataldiēnsēs dūcere poterat,[5] ubi, cum ultimum cōnstitissent, quiēte subsidiīsque adiuvābantur, quae tamen subsidia Asiāticī erant imperītī; veterānīs autem Bulgāriī ā Serbīs adiuvābantur. Bellō tandem dēfetīgāta[6] atque Potestātēs aliquid āctūrās esse spērāns, quārum auxiliō nītēbātur, Turcia ante diem tertium Nōnās Novembrēs[7] ab lēgātīs Potestātum Summārum petierat ut bellō intervenīrent. Posterō autem diē Potestātēs sē interventūrās negāvērunt atque Turciam monuērunt ut ipsa cum Potestātibus Balkānīs dē pāce ageret.

[1] *malīs itineribus.*
[2] *ēgregiīs.*
[3] *ā fronte ad dextrum cornū.*
[4] Relative clause of characteristic.
[5] *imperātor Turcōrum ad cōpiās . . . ducendas valēbat.*
[6] *dēfessa.*
[7] *a. d. iii Nōn. Nov.*

Exercise 17

Bulgāriī intereā mūnītiōnēs Tchataldiēnsēs expugnāre maximā virtūte cōnābantur, sed, cum ad mūnītiōnēs exteriōrēs expugnandās valuissent, Turcōs ex operibus fīrmissimīs expellere nōn poterant. Eō ipsō tempore exercitus etiam Serbus ad merīdiem prōgrediēbātur ut sē cum Graecīs coniungeret quī trāns Albāniam ad portum Dyrrachium capiendum profectī erant. Graecī quoque complūribus proeliīs secundīs factīs, quibus Turcōs ante sē cōnstanter repellēbant, in Thessalonīcam ante diem sextum Īdūs Novembrēs[1] pervēnērunt statimque ad septentriōnem profectī sunt ut sē cum Serbīs coniungerent.[2] Ante diem quartum decimum Kalendās Decembrēs[3] Monastīr, postquam proelium trīduī factum est, in quō vīgintī mīlia Turcōrum aut interfecta aut vulnerāta sunt, Serbō exercituī secundō

dēdita est. Quā victōriā dēlēta est sōla pars exercitūs Turcicī occidentālis quae etiam tum composita erat.[4] Octōginta quidem mīlia Turcōrum mūnītiōnēs Monastīr tum occupābant,[5] sed tam ācriter Serbī aggressī sunt ut omnibus partibus Turcī victī sint. Dīmidium ferē exercitūs quī supererat captum est; quī autem effūgērunt, effūgērunt nūllō certō ōrdine sed turba disiecta. Paucīs post diēbus exercitus Serbus Dyrrachium occupāvit. Cholera vērō Asiātica in exercitū Turcicō iam exārserat et Tchataldiae et Hadriānopolī, quae urbs etiam tum impetum hostium sustinēbat. Cum igitur, ante diem octāvum decimum Kalendās Decembrēs,[6] Kiamil Pasha, senex ille, Prīnceps Cīvitātis, Nazim Pasha imperātōrī quī tum in fossīs erat, post ultimās mūnītiōnēs Constantīnopolis, praecēpisset ut cum ducibus Sociōrum dē indūtiīs quattuordecim diērum ageret, fīnis suberat huius mīrī bellī diērum quadrāginta duōrum, quō in bellō Sociī nē semel quidem repulsī erant.

[1] *a. d. vi Īd. Nov.* [2] *ut Serbīs occurrerent.* [3] *a. d. xiv Kal. Dec.*
[4] *quae pars sōla . . . etiam tum sub iūstō imperiō erat.*
[5] *tenēbant.* [6] *a. d. xviii Kal. Dec.*

Exercise 18

Cum autem ante diem nōnum Kalendās Decembrēs[1] Turcia condiciōnēs indūtiārum ā Sociīs prōpositās recūsāsset, continenter pugnābātur. Dēnique, initō mēnse Decembrī, indūtiae ā Sociīs et Turcīs obsignātae sunt, hīs condiciōnibus: prīmum, nē amplius pugnārētur dum pāx cōnfīrmārētur; deinde, ut commeātus Hadriānopolim, Ianīnam, Scodramque cōpiīs Turcōrum ab exercitibus Sociōrum interclūsīs mittērētur. Quibus in indūtiīs Graecia autem sē cum Sociīs coniunctūram esse negāvit, nē bellum nāvāle in marī Aegaeō intermittere cōgerētur, ubi Bosporum obstruēbat atque multīs īnsulīs, quās antīquitus possēderat, potiēbātur.

Colloquium dē pāce Londinī ante diem septimum decimum Kalendās Iānuāriās[2] incipitur,[3] quō Graecia tamen ūnā cum reliquīs cīvitātibus Balkānīs lēgātōs mīsit, cum recūsāsset quōminus in indūtiās īniret. Diem ex diē Turcī, prō cōnsuētūdine suā, colloquium prōdūcēbant atque negōtium lēgātiōnis dēmorābantur, cum alius aliam quaestiōnem īnferret, dē quā mandāta ā Constantīnopolī sēsē petere oportēre dīceret. Quam rem eā dē causā faciēbant, quod vel meliōrēs[4] condiciōnēs sēsē ex morā obtentūrōs esse spērābant, vel etiam hoc effectūrōs ut ā Potestātibus intervenīrētur. Ūna autem condiciō ā Sociīs prōposita est sine quā foedus esse nōn posset. Haec fuit ut Hadriānopolis dēderētur. Cōnstantiā quidem parī hanc condiciōnem recūsābant Turcī; cum tamen ad extrēmum, ā Russiā coāctī, sē urbem suam tam antīquam tamque sānctam trāditūrōs pollicitī essent, tumultū Constantīnopolī coörtō, administrī imperiī ex officiō ēiectī sunt, Nazim Pasha imperātōr occīsus, administrī novī cōnfīrmābant sē plānē cōnstituisse Hadriānopolim numquam trādere. Pars autem Turcōrum Iūniōrum, ut appellātī sunt, quae istō facinore imperiō potīta erat, brevī tempore intellegēbat[5] onus[6] quidem bellī administrandī[7] sibi animum minōrem fēcisse. Praetereā vulgus[8] Constantīnopolītānum imperium nihilī fēcit, ac dē dolōre suō et fame sōlum cōgitābat. Exercitus quoque, cui Nazim Pasha maximē acceptus erat, nōn longē aberat quīn dēficeret. Iūniōribus Turcīs igitur temerē agentibus nihil bonī prōcesserat aut apud exercitum aut apud legātiōnēs.[9]

[1] *a. d. ix Kal. Dec.* [2] *a. d. xvii Kal. Iān.*

[3] *incipit:* the intransitive form is rare but classical; *inītur* also is possible. [4] *secundiōrēs.* [5] *comperiebat, sentiēbat.*

[6] *negōtium, labōrem.* [7] *dīrigendī.* [8] *Vulgus autem,* etc.

[9] Or thus: *Iūniōribus . . . agentibus neque apud exercitum neque apud legātiōnēs quicquam bonī prōcesserat.*

Exercise 19

Interim pertinācia lēgātōrum Londinī concilium pācis ante diem octāvum Īdūs Iānuāriās[1] distulit. Quod vērō rēs apud Turcōs etiam peius prōcēdēbant, ad extrēmum lēgātī Potestātum Summārum Turcōs litterīs admonuērunt ut Hadriānopolim trāderent; quam rem quōminus facerent Turcī statim recūsāvērunt. Itaque diē tertiō ante Kalendās Februāriās Sociī Turcōs certiōrēs fēcērunt sē indūtiās ante diem tertium Nōnās Februāriās[2] diremptūrōs esse. Eō ipsō tempore et in Hadriānopolim et in Tchataldiam iterum impetum ācerrimē fēcērunt; quā ex rē paucīs post diēbus Lēgātus Turcōrum apud Imperium Britannicum[3] ab Administrō Britannō Rērum Aliēnārum petiit ut ā Potestātibus quaereret ut bellī fīnem facerent.[4] Turcia etiam tum vidētur spērāsse fore ut Potestātēs intervenīrent. Intereā Graecī, quī indūtiās nōn accēpissent, Ianīnam ācriter oppugnābant, atque Nigromontānī iterum in Scodram, diē ipsō indūtiārum diremptārum, impetum fēcerant. Deinde, initō mēnse Mārtiō, Graecī, Prīncipe Rēgiō Constantīnō imperātōre, Ianīnam cēpērunt, atque triginta mīlia cōpiārum Turcicārum in dēditiōnem accēpērunt. Serbōrum quoque magna manus Rēgī Nicolaō auxiliō ad Scodram obsidendam missa est, quamquam Austria quidem vehementer recūsāvit, quae et Nigromontāniae Scodram aut Serbiae aditum ūllum ad mare sē datūram esse negāvit. Mediō quidem Mārtiō Sociī Potestātēs certiōrēs fēcērunt sē pācem acceptūrōs esse hīs condiciōnibus: prīmum, ut fīnis Imperī Turcicī līnea esset ā Rodostō (quod oppidum ad Propontidem est positum) ad Prōmuntōrium Malātram dēscrīpta, quod in Pontō est;[5] omnis quoque ager quī ad occidentem sōlem hāc ab līneā esset, paenīnsulā Gallipolī exceptā, Sociīs darētur;[6] deinde, ut īnsulae, quae in marī Aegaeō sunt, Sociīs cēderen-

tur; deinde, nē quid omnīnō iūris [7] Turciae in Crētā esset; deinde, ut sūmptus bellī ā Turciā penderētur, cuius stīpendī summa, pāce cōnfīrmātā, cōnstituerētur; dēnique, ut dē statū cīvium cuiusque cīvitātis, quī in fīnibus alterīus cuiusvīs essent, dēcernerētur.

[1] *a. d. viii Īd. Iān.* [2] *a. d. iii Nōn Feb.*

[3] *Lēgātus Turcōrum quī Londinī cīvitātī suae serviēbat.*

[4] *ut ad bellī fīnem faciendum operam darent.*

[5] Or suggest *prōmineō*, 'project,' and write, *quod in Pontum prōminet.*

[6] *cēderētur.* [7] *negōtī.*

Exercise 20

Quās condiciōnēs Turcī magnā ex parte accēpērunt, sed nesciō an ūsque eō commūtentur, ut līnea fīnium ā Midiā, quae est ad Pontum, dēscrībātur ad Enos, quod oppidum ad mare Aegaeum est positum; deinde, ut ā Potestātibus īnsulae Aegaeae attribuantur;[1] dēnique, ut cīvitās suī nōminis, Albānia, ex terrīs in mediā paenīnsulā Balkānā positīs creētur. Potestātēs etiam id vehementer nōlunt, ut sūmptus bellī ā Turcīs pendātur. Turciae vērō, postquam[2] Hadriānopolis ante diem septimum Kalendās Aprīlēs[3] capta est, ultima spēs dēfēcit. Potestātēs iam postulāvērunt ut Rēx Nicolaus Scodram obsidiōne līberāret,[4] id quod fortiter[5] sē factūrum negāvit, cum postulātum nāvibus longīs Potestātēs sustinērent quae portum ūnum Nigromontānum obsidēbant.[6] In eā rē virtūs eius vīcit, ut Scodra initō mēnse Aprīlī sē dēderet. Dolus vērō crūdēlis Fātī fuisse vidētur, ut, quae nātiō fortissima bellum commīserit quod contrā Turcōs gerēbātur, ea sōla ex eō bellō nihil bonī recipiat, sed avāritiā Austriae id reddere cōgātur quod suīs armīs vīcit. Incertum quidem est dē ultimīs bellī rēbus gestīs et dē pāce cōnfīrmandā, nam Sociīs cūrae est[7] nē quid hīs dē rēbus

nūntiētur. Fāma etiam est contrōversiās dē praedā dīvidendā inter eōs exstitisse; immō vērō arma inter sē cēpisse dīcuntur. Sed cum pāx nondum prōnūntiāta sit multaeque difficultātēs ad omnia cōnstituenda etiam nunc prōpōnantur, tamen quaecumque rēs gestae mīlitārēs in reliquum tempus [8] factae erint, eās novī bellī, novīs ex causīs ortī novīsque cōnsiliīs gerendī, esse exīstimāre necesse erit. Cōnfectum enim bellum est cīvitātum Balkānārum, quod Turciae intulērunt.[9]

[1] *distribuantur.*

[2] Or abl. absol., *Hadriānopolī captā*, etc. [3] *a. d. vii Kal. Apr.*

[4] *Scodrae obsidiōnem relinqueret.* [5] *audācter.*

[6] Also *cum . . . sustinērent, portū ūnō Nigromontānō obsessō.*

[7] *nam hoc Sociī maximē praecavent*, etc. [8] *posthāc.*

[9] *Cōnfectum . . . est quod cīvitātēs Balkānae Turciae intulērunt.*